3

SYNODVS PROVINCIALIS, GNESNENSIS PROVINCIÆ:

SVB

Jllmo & Rńdmo Domino,

D. LAVRENTIO GEMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primate,

Primoq; Principe,

Petricouiæ

Anno Dńi, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo primo: Die vigesima sexta, Mensis Aprilis,

celebrata.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij. S. R. M. Typographi.

Anno Domini, M. DC. XXIIII.

LAVRENTIVS GEMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHIEPISCOPVS GNESNEN.

Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.

Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Archiepiscopo Leopoliensi, alijsq; Prouinciæ nostræ Gnesnensis, Episcopis, Dominis Fratribus nostris charissimis, ac ipsorum Capitulis, vniuersoq; Clero, Salutem in Domino.

ACTA Synodi nostræ Prouincialis, quam Diuino adiuti auxilio, ante biennium Petricouiæ celebrauimus, pro debito Officij nostri Archiepiscopalis, curauimus per Sanctam Sedem Apostolicam approbari: ad eumq́; effectum miseramus Nuncium nostrum ad Curiam Romanam; primùm quidem, Reuerendum D. Ioannem Grochowicki, Abbatem Wagrowecensem: deinde, eo

de, eo in itinere infelici casu interempto, R. D. Ioannem Madalinski, Canonicũ Gnesnensem, qui postquã negotium sibi commissum diligenter peregisset, ad Nos rediјt, Synodumq; à Sacra Congregatione Cardinalium S. Conciliј Trid: Interpretum, recognitam retulit, vnà cum Breui Sanctißimi olim Dñi Nostri recens defuncti in Domino, ac literis illius Congregationis Sacratæ Præfecti Cardinalis Ubaldini manu subscriptis. Quarum tenor talis est:

GREGORIVS PP. XV.

Ad futuram rei memoriam.

MIlitantis Ecclesiæ regimini diuinâ dispensatione præsidentes, sollicito vigilare tenemur affectu, vt omnium Ecclesiarum status ad Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ disciplinæ normam compositus, suorum commendet vigilantiam Rectorum, dum benè disposita diligenter custodiunt, & reprehensioni obnoxia salubri corrigunt medicinâ; & ideo si quæ ab illis pro Pastorali munere prouidè & laudabiliter ordinantur vt ab omnibus obseruentur, libenter prouidemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum

Cùm itaq; ſicut ex literis Venerabilis Fratris LAVRENTII, Archiepiſcopi Gneſnenſis, accepimus, ipſe de Anno M.DC.XXI. Synodum Prouincialem celebrauerit, in ipſaq; Synodo nonnulla Statuta, quæ à Venerabilibus Fratribus Noſtris, S. R. E. Cardinalibus, Concilij Tridentini Interpretibus, iuſſu Noſtro accuratè perlecta, & paucis in locis, vbi opus viſum fuit, emendata, atq; aptata ſunt, condita fuerint: Nos egregiam ipſius LAVRENTII Archiepiſcopi, & Venerabilium Fratrum Epiſcoporũ Comprouincialium ſuorum pietatem, & Catholicæ religionis zelum, ac in Nos & hanc ſanctam Sedem deuotionem, inprimis ſummoperè commendantes, & communi in illa Prouincia eorũdem Statutorum obſeruationi, quantum cum Domino poſſumus, cõſulere volentes, Synodi præfatæ, quam eidem LAVRENTIO Archiepiſcopo remittimus, Statuta ſic vt præfertur, emendata atq; aptata, ab omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tàm ſecularibus, quàm cuiuſuis ordinis & inſtituti regularibus, ac alijs in dicta Prouincia exiſtentibus, ad quos quomodolibet ſpectat, inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus; eundemque LAVRENTIVM Archiepiſcopum, & Epiſcopos Comprouinciales

suos præfatos, hortamur in Domino, & attentè monemus, vt Statuta præfata, iuxta eorum formam & tenorem, in suis Diœcesibus publicent, illaq; publicari, & ab omnibus & singulis dictæ Prouinciæ, personis secularibus & regularibus, ac alijs præfatis, in omnibus, & per omnia integrè, & sub sententijs, censuris, & pœnis in eis forsan contentis, recipi, admitti, obseruari, præstari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes, neminem ab eorum obseruatione, quouis prætextu & causa se excusare debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die xvi Iunij, M. DC. XXIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

S. Car. S. Suf.

Literæ Illustrissimi Cardinalis Vbaldini.

PErillustris ac Reuerẽdissime Domine, vti Frater. Synodum Prouincialẽ ab Amplitudine Tua, isthic cum suis Comprouincialibus Episcopis, Anno M. DC. XXI. celebratam, & Statuta in eadem Synodo condita, ac postea ad S. D. N. delata, Illustrissimi Patres, Trid: Conc: Interpretes, ex suo munere, eiusq; Beatitudinis iussu, accuratè perlegerunt, ex ijsq; Amplitudinis

Tuæ

Tuæ, & Episcoporum eximiam pietatem, summam religionẽ, deuotumq; in Sanctam Sedem Apostolicam studium perspexerunt. Nunc verò ipsam Synodum ad Amplitudinem Tuam remittimus, paucis in locis, vbi opus visum fuit, emendatam, atq; aptatam, quemadmodum in Synodi ipsius margine, & seperatim his nostris ad eam literis adnotauimus: vt eo modo quo illam acceperit, edendam, & pro istorum populorum salute, atq; Ecclesiasticæ disciplinæ conseruatione, omninò obseruandam cures, ne gregi eidem commisso, laboris tam piè suscepti subtrahatur fructus, quem ipsa sibi in Synodi celebratione ab initio proposuit. Id quod de eius religione ac zelo, nobis adeò firmiter pollicemur, vt nullis eam cohortationibus egere existimemus. Porrò has litteras vnà cum Synodo, vt praeponitur, emendata, D. Ioanni Madalinio, istius Ecclesiæ Canonico, ad Amplitudinem T. dedimus perferenda, qui in procuranda hîc Synodi expeditione ita se gessit, eaq; vsus est diligentiâ vt quemadmodum hac in re officio suo, ita & omnibus quibuscum illi in Vrbe agendum fuit, mirificè satisfecerit. Reliquum est, vt si quid spirituali administrationi istius Prouinciæ adiumento esse possit, intelligat Amplitudo T. se Sacræ Congregationis operâ, summâ cum fiduciâ, vti posse. Interea Diuinam clementiam precamur, vt vires illi ad impositum onus sustinendum ministrare, & sanctissimis illius conatibus adesse semper dignetur. Romæ, die xxix. Aprilis. Anno D. M. DC. XXIII.

Amplitudinis T. Perillustris ac Reuerendiss.
vti Fr. stud.

R. Car. Vbaldinus.

à tergo

Perillustri ac Reuerendis: Dño, vti Fratri, Domino Archiepiscopo Gnesnensi.

Vt itaq;

Vt itaq; præmissa ad notitiam omnium, quorum interest, deueniant, Decreta prædictæ Synodi, typis imprimi atq; publicari mandauimus, prout per præsentes publicamus. Hortantes omnes & singulos, Metropolitanæ ac Primatiali Nostræ iurisdictioni subiectos, vt ea prompto animo suscipiant, inuiolabiliterq́; obseruent. Vestrum quoq; erit Ill^mi & Rnd^mi Dńi, ea quæ communi consensu & consilio ad normam Sacrorum Canonum sancita, ac à S. Apostolica Sede accuratè cognita approbataq́; fuerunt, lubentibus animis accipere, proq́; suo Pastorali Officio sedulò curare, vt ea omnia in executionem deducantur, & in Diœcesibus vestris ab omnibus sedulò obseruentur, vti Apostolicæ leges, voluntate nostra, consensuq́; communi in Synodo statutæ, ad Prouinciæ nostræ vtilitatem, atq; gregis Dominici Nobis commissi, salutem, & laudabilem disciplinam, ac in domo Domini ordinem & decorem. Deus Opt. Max. ad ea seruanda & implenda, mentes omnium accendat, viresq́; adaugeat, Vosq́; Ecclesiæ suæ sanctæ, quàm diutissimè seruet incolumes. Datum Louicij, die 21. Augusti. Anno D. M. DC. XXIII.

ACTA
&
Constitutiones Synodi, GNESNENSIS PROVINCIÆ.

Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Primo. Die Vigesima sexta Mensis Aprilis inchoatæ, & ad primam diem Maij continuatæ.

IN Nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Synodus Prouincialis Gnesnensis, Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Primo, Indictione quarta, Pontificatûs Sanctissimi Domini Nostri, D. GREGORII, Diuina prouidentia Papæ Decimiquinti, Anno Primo, pro die Vigesima sexta Mensis Aprilis, Petricouiæ in Ecclesia Parochiali legitimè congregata. Præsidente Illustrissimo & Reuerendissimo in Christo Patre, Dño LAVRENTIO GEMBICKI, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, & Primo Principe. Præsentibus autem

Reuerendissimis Dominis Comprouincialibus Episcopis, MARTINO SZYSZKOWSKI Gracouiensi, PAVLO WOLVCKI Wladislauiensi & Pomeraniæ, HENRICO FIRLEY de Dambrowica Plocensi, IOANNE WEZYK Præmisliensi, IOANNE KVCZBORSKI Culmensi, OTTHONE SCHENKING Vendensi. Necnon Reuerendissimorum Dominorum ANDREÆ PRVCHNICKI Archiepiscopi Leopoliensis, Ioanne Baranowski Archidiacono Leopoliensi, ANDREÆ LIPSKI Luceoriensis, Stanislao Loza, Canonico Luceoriensi: STANISLAI KISZKA Samogitiæ, Matthæo Babinowski Canonico Mednicensi, BOGVSLAI RADOSZEWSKI Kiiouiensis, Religioso Martino Priore Monasterij S. Crucis, ADAMI NOWODWORSKI Camenecensis, Paulo Karski Decano Camenecensi, Episcoporum. Ac Reuerendis Dominis, Simone Koluczki, & Gasparo Kozielski, Gnesnensibus Canonicis. Ioanne Foxio I. V. D. Archidiacono, & Achacio Grochowski, Canonico Cracouiensi. Chrystophoro Charbicki Præposito, & Balthazare Miaskowski, Suffraganeo & Canonico Wladislauiensi. Nicolao Decio, S. T. D. Decano Wilnensi. Ioanne Moreski, & Stanislao Zukowski, Posnaniensibus Canonicis. Stanislao Starczewski Suffraganeo, & Gabriele Wladislawski, Canonicis Plocensibus, Magno Miowski, Cantore Præmisliensi, Valentino Szczawiński Culmensi, Melchiore Stephanide Chelmensi, Canonicis; Capitulorum suorum Nuncijs. Reuerendis item ac Religiosis Dominis, Ioanne Grzymułtowski

Landen-

Landensi, Stanislao Lubiński Tinecensi, Stanislao Droiewski Scyricensi, Adamo Trebnicz Oliuensi, Leonardo Rebowski Peplinensi, Marco Letowski Paradisiensi, Stanislao Debiński Bledzieuiensi, Andrea Chlewski Oberscensi, Abbatibus. Andrea Strembosz Mslouiensi, Thoma Pawłowski Kościelnensi, Matthia Lubiński Miechouiensi, nominato Episcopo Chełmensi: Gabriele Kielczewski Strzelnensi, Alberto Słupski Plocensi, Præpositis. Necnon alijs cæterorum Dominorum Abbatum, legitimis ex causis absentium, Nuncijs: post peractum solenniter Sacrosanctum Missæ officium, inuocatâque Spiritus sancti gratiâ, Statuta infrascripta, vnanimi omnium consensu edixit & decreuit.

De Professione Fidei.

FIdem Catholicam, quam Sancta Romana Ecclesia profitetur, extra quam nemo saluus esse potest, cupiens præsens Synodus, integram & inuiolatam conseruari, atque ab omnibus, quibus id ex munere incumbit, doceri & prædicari: Omnes & singuli, qui ad hanc Synodum conuenerunt, Sacri Concilij Tridentini præscripto parentes, eandem Professionem fidei, iuxta formulam à Pio Quarto fælicis recordationis Summo Pontifice editam, initio Sacræ huius Synodi præeunte Illustrissimo & Reuerendissimo Metropolitano, præstiterunt: atque inhærendo Decreto Synodi Prouincialis, Anno Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo Septimo, *De vnitate Fidei tenenda*, promulgato, impiam & execrabi-

crabilem per Interregna, Ecclesiastico ordine vniuerso, & non exiguâ parte sæcularis, protestante, inuectam libertatem credendi quod quisque velit, detestati & execrati sunt. Atque vt Constitutio Apostolica de Professione fidei facienda, in omnibus Diœcesibus publicetur, & ab omnibus, qui de beneficijs curatis, dignitatibus, & canonicatibus sunt prouisi; atque à docentibus literas, & à promouendis ad Doctorales, vel alios gradus, exactè seruetur, primam & maximam Reuerendissimorum DD. Episcoporum curam esse debere, vnanimi consensu statuerunt.

Quamobrem neque Regularibus, ne in sui quidem Ordinis Ecclesijs, concionari liceat, antequam professionem Fidei, ad præscriptam formam coram Ordinario, aut suo Superiore fecerint, multò minùs in Ecclesijs quæ suorum ordinum non sunt, id audeant, nisi testimonium de facta coram Superiore suo fidei professione, ostenderint.

Declarat præterea præsens Synodus, omnes Sacerdotes Vicarios Parochorum, & illos, quibus vacantes aliquando Ecclesiæ commendantur, non debere administrare Sacramenta; neq; item Ludimagistros & Scholarum Præfectos, ad docendum à Parochis admitti, antequam scripto Ordinarij, siue ipsius Officialis testimonio docuerint, se prædictam fidei professionem præstitisse, siue etiam coram suis Parochis eandem fecerint.

De Archiepiscoporum & Episcoporum Officio.

Cùm

Cvm omnium, qui in Spiritualem militiam sunt ascripti, & in opus ministerij atque ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, ordinati, requirat professio, vt quemadmodum Sacra Tridentina Synodus Spiritus Sancti instinctu, certas cuiuis Ordini Officiorum regulas rationesq́ue præscripsit; ita eas, pro suo quisque gradu, sanctè religiosèq; teneat & obseruet: tum vel maximè Episcopalis dignitatis honos id exposcit, vt ipsi tanquam sydera in firmamento posita, & mundi lumina, religionis, pietatis, & omnium virtutum exemplo, cæteris omnibus præluceant.

Quamobrem ipsis ante alios in memoriam breuiter Sacra Synodus reuocanda censuit ea, quæ ad officij eorum ritè obeundas rationes, ac stabiliendam in domo Domini salutarem disciplinam, excitandaq; tùm Cleri, tùm populi, ad Christianam pietatem, ac omnem honestatem in vita communi studia, per exempla Pastorum, legibus sacris sunt præscripta.

CAPVT PRIMVM.

Omnes Episcopi perfectionem, quam insigni hoc nomine profitentur, vitâ & moribus repræsentent, & assiduè illud mente animoq́ue reuoluant, in quo per Ezechielem Prophetam præmoniti sunt à Domino: *Ego* inquit, *de manibus Pastorum meorum requiram oues meas.* Diligenter itaque attendant gregi suo, atque in obeundo munere Episcopali, illam perfectam Episcopi imaginem, diuinitus ab Apostolo descriptam, in vitâ & actionibus

suis

ſuis vnuſquiſque exprimat. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe : ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem; non vinolentum, non percurſorem :* & quæ ſequuntur.

CAPVT II.

CVm Deus Epiſcopis ſpecialiter honorem nominis ſui cuſtodiendum commendauerit; ideò monet & obſecrat Synodus, vt hoc ipſum depoſitum fideliter cuſtodiant, & ſanctæ religionis puritatem integritatemque tueantur, atque hæreſes omnes, omnibus ſalutaribus remedijs, quantùm adiuuante Domino poterunt, abolere contendant.

CAPVT III.

EAdem Synodus confidit in Domino, quod Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, ad earum rerum, ob quas in Concilium euocati ſunt, calamitoſo hoc tempore, tractationem, totâ cogitatione intenti, ſummâ animorum conſenſione id perficere conabuntur; vt Deo inprimis, conſcientiæ ſuæ, religioni, Eccleſiarum vtilitati, animarumque ſaluti optimè proſpiciant. Proinde hoc requirit Synodus, vt quâ animorum alacritate Sacrum Concilium Tridentinum à Maioribus noſtris eſt receptum, eodem ſtudio religionis atque publicæ honeſtatis, Illuſtr: & Reuerend: DD. Archiepiſcopi & Epiſcopi, ad eiuſdem Concilij præſcriptum, ſuas Epiſcopales functiones, & munia peragentes, in ſuis Diœceſibus ab omnibus ſubditis,

ditis, illud, quàm maximè fieri potest, obseruari procuret; confisi de summâ benignitate Sanctæ Sedis Apostolicæ, quòd in hoc rerum nostrarum Ecclesiasticarum iniquiore & difficiliore statu, in casibus in istâ Prouinciâ ad exequendum difficilioribus, oportunam Sua Sanctitas, causâ cognitâ, moderationem adhibitura sit; iuxtâ anteriorem in Synodo Prouinciali, circa receptionem Decretorum Concilij Tridentini, declarationem, in Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo Septimo, factam. Quo nomine, per suum Nuncium, Sanctissimo Domino nostro Synodus supplicabit.

CAPVT IV.

PLurimum interest Ecclesijs istius Prouinciæ, vt communibus ipsarum necessitatibus, in Synodis Prouincialibus, quas Spiritus sanctus, optima malis remedia esse voluit, ab omnibus quos Deus posuit regere Ecclesiam suam, communi consilio, studio & opera prouideatur.

Quare omnes & singuli Reuerendis: & Rñdi DD. & quicunque de iure vel consuetudine Synodo Prouinciali interesse debent, à Metropolitano & Primate, more maiorum, ad Synodum euocati, Deo & Ecclesiæ officium hoc præstare, atque Primati suo operam, & salutaria consilia accommodare non intermittant.

Et quoniam præsens Synodus ex Illustriss: Dño Archiepiscopo & Primate intellexit, quod Reuerend: Dñus Episcopus Warmiensis, prætendens Ecclesiam Warmiensem

ensem immediatè subiectam esse Sanctæ Sedi Apostolicæ, ad hanc Synodum Prouincialem venire recusat: Censet eadem Synodus referendum hoc esse ad Sanctissimum Dominum Nostrum. Et quia Sacrum Concilium Tridentinum de Episcopis, qui nulli Archiepiscopo subsunt, ita disertè disponit, quòd ipsi debeant sibi eligere viciniorem Metropolitanum, à quo ad Synodum Prouincialem vocati, quamuis non iure subiectionis, sed iure electionis venire, & omnia in Synodo statuta obseruari facere debeant: supplicandum Suæ Sanctitati, vt Sua Sanctitas mandet, & iubeat Reuerend: D. Episcopo Warmiensi, ipsiusq; Capitulo, ne qui iam pridem ad Sacrosancta Concilij Decreta obseruanda sese iuramento obstrinxerunt, in legem Concilij hoc ipso committant, dum Metropolitanum Gnesnensem, quo viciniorem neminem alium habent, ad Synodales actiones, ipsam etiam Warmiensem Ecclesiam concernentes, eligere negligant. Eadem Synodus in reliquos ad Synodum, absque legitimâ causâ coram Metropolitano probatâ, non venientes, pœnam ducentarum marcarum, in antiquis Statutis Prouincialibus innouat & reuocat.

Et quia R. D. Ottho Schenking Episcopus Vendensis Prouinciæ Liuoniæ, nulli, vt asserit, Episcopo subiectæ; declarauit in præsenti Synodo, se eligere pro Metropolitano suo Metropolitanum Gnesnensem, nunc & pro tempore existentem; ideò hoc Actis Synodalibus insinuandum duxit Synodus ad futuram rei memoriam.

Declarat præterea Synodus Episcopum Baccouiensem in

sem in

sem in Moldauia, antiquitùs Metropolitani Leopoliensis Suffraganeum, eidem Metropolitano subiacere, & in Synodis Prouinciæ Gnesnensis, post Reuerendiss: Episcopum Vendensem locum habere debere.

Episcopus item Wratislauiensis, cùm ab origine suæ fundationis ad Prouinciam Metropolis Gnesnensis, cum suo Venerabili Capitulo pertineat; & Reuerendissimi olim piæ memoriæ Episcopi Wratislauienses, in superioribus Synodis Prouincialibus, interesse, legitimè non impediti, pro suo munere soliti fuerint: Cauet præsens Synodus, ne per hoc, quod Serenissimus & Reuerendissimus D. Episcopus modernus, propter præsentia turbatissima tempora, ex remotioribus ab Episcopatu locis, ad Concilium præsens Prouinciale commodè venire non potuerit, nec Nuncium etiam parem ei legationi rectè obeundæ sine periculo mittere; iuribus Ecclesiæ Metropolitanæ & Primatialis præiudicetur: & ne in posterum ab Ecclesia Wratislauiensi, quam Sancta Sedes Apostolica Metropolitanæ Gnesnensi adiunctam esse voluit, debitum hoc, ex veteri instituto Prouinciæ, officium intermittatur. Ac vt ea, quæ in præsenti Synodo, ad communem vsum Prouinciæ, ordinata & sancita sunt, in Diœcesi Wratislauiensi, quantum maximè in Domino fieri potest, ex auctoritate illâ ordinariâ obseruentur, fraternè præsens requirit Synodus. Quem ad finem ab Illustrissimo Dño Primate, Constitutiones eiusdem Synodi, ad Ecclesiam Wratislauiensem transmitti debebunt.

CAPVT V.

NOn minus intereſt ad ædificationem populi Chriſtiani, & mutua officia pertinet, vt Reuerendiſſimi DD. Epiſcopi, quem ſibi mutuò debent honorem, fraternamque charitatem, eundem etiam defunctis fratribus fideliter ac ſincerè reddant & exhibeant. Quamobrem cenſet Synodus æquiſſimum eſſe, & vel maximè fraterno amori vero conſentaneum, ne ſucceſſor Epiſcopus Prædeceſſoris ſui defuncti, acta, gratias, ob cauſam meritorum, alicui, vel in vim augmenti dotis Eccleſiarum conceſſas, aſſenſu Capituli ſui firmatas, & adhibitis etiam iuris ſolennitatibus, & ex quibus aliquis ius quæſitum habet, peractas, quaſi ad quandam contumeliam defuncti anteceſſoris, reſcindat.

Proinde ſicut locationes bonorum menſæ Epiſcopalis, ſi quæ in præiudicium ſucceſſorum, anticipatâ ſolutione, ſiue contra præſcriptum Sacrorum Canonum, fiunt, vltra triennium nec debent, nec poſſunt ſubſiſtere: ita viciſſim, ſi quæ in rem Eccleſiæ, ad augendos ſucceſſiuè reditus, ad aliquod tempus, à iure non prohibitum, de conſenſu Capituli, ritè & legitimè, ſine præiudicio iurium & ſubditorum Eccleſiæ, factæ fuerint, ſtatuit Synodus, vt à Succeſſoribus Epiſcopis non annullentur.

CAPVT VI.

EAdem Synodus, cupiens Eccleſiaſticorum in hac Prouincia indemnitati conſulere; innouat antiquum ab im-

ab immemorabili tempore, ex auctoritate Apostolica, in vsum inductum Statutum Prouinciale de Anno gratiæ. Et declarat ex prædicto Statuto, non defunctis tantùm beneficiatis, sed viuis etiam, quacunque ex causa illorum beneficia iure vacare in vitâ ipsorum contigerit, pro rata deseruiti temporis in Ecclesiâ, iuxta Bullam Leonis X. Annum gratiæ deberi. Ideoque omnes sine exceptione huius Prouinciæ beneficiatos sæculares, ad huius Statuti obseruationem obligari: & cùm in Cathedralibus atq; Collegiatis Ecclesijs, à minorique Clero idem Statutum religiosè obseruetur; æquum sanè est, vt Reueren: Episcopi suis hoc Prædecessoribus, pro subleuandis ipsorum Episcopalibus & Senatorijs oneribus, ex eodem Statuto libenter præstent; quòd eadem lege iustitiæ, à suis successoribus præstari sibi cuperent: ita tamen, vt non ad rigorem iusti valoris prouentuum, sed ex æquo & bono, eadem pars anni gratiæ à successore beneficij soluatur.

CAPVT VII.

EPiscopi, Prælatos & Canonicos suarum Ecclesiarum Capitulares, vti fratres & consiliarios suos, conuenienti honore prosequi, ac reliquum Clerum, qui etiam non vulgaris pars est Ecclesiæ, amare debent, paternèq; cum omnibus agere. Quare admonet præsens Synodus, vt Ordinarij locorum, de facto, causâ non cognitâ, cum Clero non procedant, neminem iuris remedijs opportunis vti prohibeant. In pœnis infligendis

modum & ordinem, à Sacris Canonibus & Statutis Prouincialibus præscriptum, obseruent. Depactationes, Cleri à suæ Curiæ Officialibus fieri non permittant.

Pauperibus Parochis reditus & decimas per suos Procuratores euincant.

De Iurisdictione Spirituali.

CAPVT I.

MAgnam Christianæ disciplinæ, & in moribus vitaq; communi honestati perniciem affert, intermissum & planè neglectum Iurisdictionis Spiritualis exercitium, dum multa publica enormia peccata, quæ nullâ lege Ciuili puniuntur, ab Ecclesiasticis tolerantur: Qualia sunt publicæ vsuræ, adulteria, nefandi incæstus, periuria, sortilegia, & cætera innumera scelera, etiam ex Statutis Regni, ad Iudicium Spirituale tantùm pertinentia. Quamobrem præsens admonet Synodus, vt eiusmodi crimina & flagitia, Sacrorum Canonum pœnis coerceantur. Et quæ in anteriorum temporum Statutis Prouincialibus, de Iurisdictione Spiritualium, & causis ad Iudicium Ecclesiasticum pertinentibus, sub titulo, *De Foro competenti*: quæ item de Vsurarijs & Sortilegis, iuxta Statutum Prouinciale, lib: 4. sub titulis: *De Vsuris & Sortilegiis*; item *de Adult*: ibidem sub tit: *De Adult.* & iuxta Sacrosanctum Conc: Trid: c. 8. Sess: 24. *Grauè*, &c. prudenter sancita sunt, in vsum reducere cupiens, Sacra Synodus omnibus Parochis iniungit, vt prædicta

Statuta

Statuta bis in anno, videlicet prima Dominica Aduentus & Quadragesimæ, in suis Ecclesijs ex ambona publicari & explicari faciant.

CAPVT II.

AD retinendam Spiritualem iurisdictionem pertinet, vt Ordinarij Locorum Clericis, citationes, monitoria, & alia iuris remedia, contra Nobiles laicos, in causis decimarum, censuum, & alijs, ad forum Spirituale pertinentibus, sine respectu personarum, extradi ab Officio Ordinario mandent: Itaque in eo antiquum morem & consuetudinem seruandam, Synodus statuit. Quod si alicubi id negatum fuerit, ad Archiepiscopum Metropolitanum, seruato iuris ordine, tanquam à denegata iustitia, appellare liceat. Monet verò Synodus beneficiatos, ne vtique sine probabili prætextu iuris, ad inuidiam Ordinis Ecclesiastici, leui de causa negotium sæcularibus facessant.

CAPVT III.

PIè & prudenter Concilium Nicænum primum statuit, vt excommunicatus ab vno Ordinario, ad communionem ab altero non recipiatur: Proinde statutum antiquum Prouinciale, sub tit: *De Sententia Excommunicationis* insertum; præsens Synodus innouando, declarat: quòd Ordinarij locorum, quibus ab altero Episcopo, per patentes literas significatum fuerit, aliquem in sua Dioecesi, nominatim per sententiam excommunicatum

& publicatum, eſſe; omninò teneantur eundem in ſuis Diœceſibus mandare denuntiari, & pro excommunicato haberi, ſinè omni difficultate: aliâs iuxtâ Statutum, Prouinciale ſub tit: *De Senten: Excom:* lib: 4. Statutorum Prouincialium.

De immunitate Eccleſiaſticâ, & libertatibus Eccleſiæ tuendis.

CAPVT I.

CVm Eccleſiaſtica libertas, ad miniſtros Eccleſiæ, & immunitas ad bonorum poſſeſsionem, fructuſque pertinens, Dei ordinatione, Summorum Pontificum, Decretis, & Sanctorum Conciliorum auctoritate ſtabilita, atque in hoc Regno debitè obſeruata, nullâ ratione violari à quoquàm debeat: proindè quod de ſummâ pietate & iuſtitiâ Sacræ Regiæ Maieſtatis Synodus maximè confidit; dubitare non poſſumus, quin reliqui Magiſtratus Prouinciæ, exemplo pientiſsimi Regis; quem Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque ſuæ, in hoc ampliſsimo Regno defenſorem & protectorem, ſingulari prouidentiâ conſtituit; libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam conſeruare integram ſtudeant, & quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, ea tanquàm Dei ipſius munita præſidio ſanctè tueantur. Quod ita vt fiat, Epiſcopi præcipua pars Senatus Regni, cuius Princeps eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis, pro officij ſui munere obligantur in conſcientia, prouidere, ne quid contra libertates, iura, immunitates,

& priuilegia Ecclesiastica, in Comitijs Regni statuatur. Et cùm non deceat Ecclesiasticos in hoc superiori à sæcularibus, qui absque vllo respectu metuuè inuidiæ, aut cuiusuis potentiæ, tàm anxiè, sollicitè, & efficaciter iura sua & libertates tuentur; multò magis conuenit Episcopis, Christum apertè confiteri, & strenuè causam Dei agere; Ideoque si quid inuito ordine Ecclesiastico pro lege habendum, à sæcularibus decernatur, coniunctim operam Metropolitano suo & Primati, ad tuenda iura Ecclesiæ præstent: & non modo circa conclusionem Comitiorum protestentur, se ea lege quæ non de publico omnium consensu ferretur, non teneri; verùm etiam ad Acta Regni publica relatam protestatione, singuli in Diœcesibus per Decanatus rurales. Clero suo intiment, & publicari mandent per Processum; non tamen ex ambona; ad eum effectum, vt Clerus præmoneatur; se ad eiusmodi præiudicialium legum obseruantiam non obligari. Et Confessarij, præsertim nonnulli regulares, qui per indulgentiam nimiam, aut aliâ de causa, Nobiles à quibusuis criminibus absoluunt, norint probè examinare conscientias eorum, qui Constitutiones libertati Ecclesiasticæ contrarias, in Comitijs promouent, & Clerum, inaudita causa, per iniuriam aut inuidiam oppugnant. Quamobrem præsentis Synodi auctoritate, omnes Sacros Canones, & Apostolicas Sanctiones, in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas: omnia item superiorum temporum Prouincialia Statuta, in hac materia, De im-

muni-

munitate Ecclesiarum sancita, ab omnibus exactè seruari præcipimus.

CAPVT II.

CVm tria vel maximè loca sint, in quibus iurium & libertatum Ecclesiasticarum periculum vertitur, videlicet Comitia Regni, tàm Generalia, quàm particularia, necnon Iudicium Tribunalis Regni: monentur seriò Reuerendiss: DD. Ordinarij, vt Comitijs Generalibus & particularibus omninò intersint, sub pœnis in antiquis Statutis Prouincialibus latis. Deputatorum verò Tribunalis Regni rationem habeant, ac possint, si qui Deputati minorem alijs prouisionem habent, maiorem pensionem aliam, contribuentibus respectiuè imponere & assignare.

CAPVT III.

QVia Articulos immunitatis Ecclesiasticæ in Constitutionibus Prouincialibus Regni descriptos, declarauit & modificauit, fælicis recordationis GREGORIVS XIV. Ideò Sacra Synodus eandem Constitutionem publicandam esse decreuit, & publicauit, ac eam hic inseri mandauit.

GREGORIVS EPISCOPVS.
Seruus Seruorum Dei.

H*Ac perpetuâ valitura Constitutione, omnia, & quæcunque Priuilegia, Indulta, & Gratias, tam per* SIXTVM V.

ac PIVM

ac PIVM V. *quàm alios quoscunq; Prædecessores Nostros, aut Nosmetipsos, Sedemuè Apostolicam, eiusq; Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasterijs, Sacellis, Domibus regularibus & secularibus, locisuè Sacris aut religiosis, aliâsq; in casibus à Iure permissis, hominibus, certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorũ, & pro bono, pace, & quiete publicâ, & ex causis vrgentissimis, ac necessarijs, & æquipollentibus casibus in Iure expressis, atq; ex paritate, identitate, aut maioritate rationis, extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu aliâs quomodolibet concessa, etiam iteratis aut multiplicatis vicibus, approbata & innouata, ac vsu recepta; Literasq; Apostolicas sub plũbo, aut in formâ Breuis, seu aliâs quomodocunq; desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitùs omni differentia: Ita ad vnã tantùm formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaq; Sacra & religiosa prædicta, confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiuè homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumuè cæmiterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assasini, vel hæresis, aut læsæ maiestatis, in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur: Sed vniuersis & singulis, Venerabilibus Fratribus Nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Epi-*

ſcopis, cæterisq́ Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo, mandamus & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domos, & alia loca ſupradicta, Sacra, ſeu religioſa, reſpectiuè confugientes, & in eis ſe recipientes, atq́ morantes: qui prædicta, eorumuè aliquod iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis, abſq́ irregularitatis nota, aut alicuius Cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi & conſignari curent & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem Curiæ ſæcularis prædictæ Miniſtri, facultate illos per ſe, & propriâ auctoritate extrahendi & abducendi, ſibi olim vt præfertur, attributa, & per præſentes reuocata, abutantur; volumus, dictaq́ auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia ſæcularis, eiusq́ Iudices & Officiales, ab Eccleſiis, Monaſteryjs, locisq́ Sacris prædictis, laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem, in nullo ex Caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos, & non alios, Epiſcopis inferiores, etiamſi aliâs Ordinarij ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſeruatores, ab hâc Sede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu, in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios: capere, extrahere, aut incarcerare non poßint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illos in delictis ſuperius expreßis,

preßis, culpabiles tradere, aut capturæ, carcerationi interuenire & aßistere recusauerint; tuncq; reuerentiæ Ecclesiæ, & locis Sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quoad id fieri poterit, cum scandalo & tumultu extrahere curent. Quodq; delinquentes laici prædicti, postquam vt præfertur, ab Ecclesiis, locisuè Sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ, data illis si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæq; sæculari prædictæ consignari, nec tradi poßint; nisi cognito priùs per Episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint: tuncq; demùm de Mandato Episcopi, per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quâcunq; appellatione postposita, consignentur. De crimine verò hæresis, cognitio ad Forum Ecclesiasticum tota pertineat, neq; in eâ Curia sæcularis se quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas sæculares, aut cuiusuis Ordinis, vel militiæ, & S. Ioannis Hierosolymitani Regulas, in quoquo modo & vigore prædictorum Priuilegiorum, Indultorum, aut Conceßionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasuè ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisq; Sacris aut religiosis, etiàm in casibus in hâc Constitutione expreßis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus, ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliâs quàm de Iure, & per Priuilegia eisdem Ordinibus, aut militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant. Quod si quis, quacunq; dignitate & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quouis prætextu, quicquam præter, aut con-

aut contra huius Nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto censuras & pœnas easdē incurrere, quæ contra Libertatis, Iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, Nostrorumq; Prædecessorum Constitutiones, sunt promulgatæ; Sicq; per quoscunq; Iudices, &c. sublata eis, &c. Nec non irritum, &c. Non obstantibus præmissis, etiam SIXTI & PII *Quinti, quàm aliorum literis Apostolicis, &c. quibusuis personis, quibusuis grauioribus & vrgentibus causis, &c. concessæ fuerint, tam illorum intuitu, &c. quàm etiam, &c. motu proprio, &c. ac per modum Statuti & Legis perpetuæ, & in vim contractus, & Fratrum Nostrorum consilio, sub quibuscunq; tenoribus, &c. &c. derogatoriarum derogatorijs, &c. non irritantibus, &c. per omnia & singula, ac illorum tenores, pro expreßis habentes, quatenùs præmißis in aliquo aduersentur, &c. omninò ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis, quoad superiùs descripta, duntaxat reducimus, & volumus cuiq; de cætero suffragari, &c. Publicata, die vigesima octaua, Mensis Maij, à Natiuitate Domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo primo.*

CAPVT IV.

COmperimus præterea nonnullos salutis suæ tantoperè esse prodigos, vt Ecclesiarum Priuilegia, quò securiùs earum Patrimonio abutantur, supprimere, aut eadem ausu sacrilego lacerare, aut flammis absumere præsumant: Proinde earundem indemnitati Ecclesiarum consulere, effræniq; eiusmodi malitiæ obuiare volentes,

Ordi-

Ordinamus, vt Caput Vndecimum, *Sess: 22.* Conc: Trid: *De Reformatione*, in omnibus Ecclesijs, pro sacris Concionibus, primâ Dominicâ Aduentus, prima itidem Dominicâ Quadragesimæ, singulis præterea diebus Festis, quibus frequentior solitò populus ad Ecclesias confluit, promulgetur, idemq; Latino & Polonico idiomate descriptum, in quâlibet Ecclesiâ loco conspicuo appendatur. Nunc verò ipsum Canonem, in proprio suo tenore ad calcem Statutorum apponimus.

De vita & honestate Cleri.

CAPVT I.

MOnentur omnes in sortem Domini vocati, vt vocationis suæ memores, omnia ea, quæ de vita & honestate Clericorum, tam in Iure Communi, & in Sacra Tridentina Synodo, atque in Constitutionibus Prouincialibus & Diœcesanis, sancita sunt, his præsertim temporibus calamitosis, quibus ira Dei in nos desæuit, obseruent: Vtque omnia in executionem Rndmi DD. Ordinarij, Pastorali curâ & vigilantiâ deducant, sedulò Synodus admonet & hortatur.

CAPVT II.

SI in priscis illis vmbræ & figuræ Ministris, tantam munditiam, sanctitatem, & innocentiam, multis pœnarum comminationibus, requisiuit Deus: quantò magis eandem, & multò perfectiorem requiret à Sacerdo-

tibus Noui Testamenti; qui veritatis & gratiæ ministerium exequuntur; qui non simplices ac meros panes, sed cœlestem illum panem, Corpus Christi immaculatum offerre, consecrare, dispensare; & reliqua itidem Sacramenta Sanguinis & meriti Christi prætiosissimi symbola, mirum in modum tremenda, necesse habent ex officio administrare. Cùm verò in Præsbyteros concubinarios, varias & æquissimas pœnas, ex Sacrorum Conciliorum & Decretorum placitis, constituerint Summi Pontifices; & præcipuè Sacrum Concilium Tridentinum, grauissimas sanciuerit pœnas: inhærendo prædictis Sacris Canonibus, præcipuè verò Statutis nostris Prouincialibus, sub titulo, *De cohabitatione Clericorum & mulierum*, sancitis; Statuit & decernit Synodus, vt Ordinarij locorum, pœnas in eiusmodi impuros Sacerdotes, iuxta dicti Concilij præscriptum extendant. Et quoniam Clerici in fornicationem prolapsi, quorum peccatum eiusmodi notorium est, per sententiam, seu confessionem in iudicio, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliquâ celari non possit, frequenter, ante, & post pœnitentiam peractam, in Ordine suo sine dispensatione ministrant: quippe cùm fortasse non animaduertant, neque Dei offensionem, neque Canonicum impedimentum, quo ob tale crimen sese obstringunt: idcircò Clerum huius periculi commonefaciant Episcopi, ne qui adeò manifesta concubinatûs, fornicationisuè labe contaminati sunt, Ordinis sui munus, à quo suspensi sunt, exercere audeant, ne vltra pœnas Canonicas irregularitatem incurrant.

CAPVT

CAPVT III.

PArochi se non satis fecisse muneri suo existiment, quod præsentiam suam apud gregem Vicarijs ineptis redimunt, & operas minùs idoneorum interdum hominum conducunt, ad gerendas suas vices. Quamobrem præsentis Synodi auctoritate, monemus omnes & singulos, quibus incumbit cura animarum, vt qui ex dispensatione Apostolicâ, à continuâ residentiâ iustam ob causam excusantur, saltem in Festis principalioribus, debita sua in Ecclesijs Parochialibus munia obeant. Nam sicut in Medico corporali, eligitur & expeditur industria personæ; tantò id iustiùs in Medico spirituali animarum, à fidelibus desiderari sciant. Reliqui item omnes Curati diligenter gregi suo attendant; non perfunctoriè, sed magna cum pietate, prudentiâ, & diligentiâ, Sacramenta Parochianis suis administrent. Ne superstitiones, ne contra ritum Ecclesiæ exorcismos, in suis Parochijs à quoquam exerceri permittant; alioqui tales officio Ordinario deferant atque denuncient. Reliqua item omnia, quæcunq; de eorum munijs & officijs in Sacri Conc: Trid: Canonibus, in Statutis Prouincialibus; quæ item in Diœcesanis Illustrissimorum Ordinariorum Synodis, ad eorum exactam muneris rationem legitimè definita sunt, accuratè exequantur, ad earumque Constitutionum, Decretorumuè, quæ Nos præsentis Synodi auctoritate omnia innouamus, & in vsum reduci volumus, normam, omni obseruantiæ atque obedientiæ studio sese conforment.

Ne Cle-

Ne Clericus Clericum ad Iudicium sæculare trahat.

QVia conquestus est Clerus, quod Spirituales nonnulli, ad Iudicia sæcularia se trahunt inuicem; renouat Synodus Statutum Prouinciale, *lib: 2.* sub tit: *De foro competenti*, ea de re latum, cum pœnis ibi contentis.

De Electione Archidiaconi.

VT Bulla Prouincialis, de Electione Archidiaconi, per omnia obseruetur; assumit Synodus antiquas Constitutiones Prouinciales, super ea re editas: & decernit, vt vacatione Archidiaconatûs occurrente, præmissis Cridæ literis, duo Doctores, seu Licentiati, vel in Iure Canonico, vel in Theologia idonei, liberæ Electioni Capitulorum proponantur, & ex pluralitate votorum Electio concludatur.

De Officio Capituli, Sede vacante.

VT Capitula sui officij partes, sub tempus vacationis Sedium Episcopalium, in reditibus patrimonij Ecclesiastici colligendis & asseruandis, ex præscripto Statutorum in anterioribus Synodis latorum, expleant; abusus qui hac in parte in damnum Episcoporum irrepserunt, abolemus, decernimusque, vt administratio & sustentatio, alijq; sumptus, qui administratoribus bonorum, sedibus vacantibus, incumbunt, limites veterum Constitutionum non excedant, personæque Capitulares sumptus

ſumptus ampliores, quàm Statuta permittunt, non faciant; neque in rem ſuam, ex peculio fructibuſuè bonorum Epiſcopalium, plura ſibi vſurpent; ſub pœna excommunicationis & reſtitutionis, aliâs iuxta Statutum antiquum Prouinciale.

De Iurisdictione Capitulari.

AD petitionem nonnullorum Capitulorum, inhærendo Decretis Sacri Concilij Tridentini, *Seſſ: 25. c. 6.* decernit Synodus, vt in rebus, quæ in Capitulis tractantur, ac ipſum Capitulum tantùm, eiuſque iuriſdictionem concernunt, ea illis ſalua & intacta, cùm liberis abſente Epiſcopo ſuffragijs, omninò relinquatur.

De Bonis Menſæ Epiſcopalis.

VT Patrimonium Eccleſiæ integrum & intactum relinquatur; antiqua Statuta, De reuiſione bonorum Epiſcopalium per Capitulares facienda, vt in executionem deducantur, innouat Synodus: & monet vt per eoſdem reuiſores, quorum vnus debet proponi ab Epiſcopo, Inuentaria bonorum eiuſmodi diligenter & fideliter conficiantur, & in Capitulis aſſeruentur.

Monentur etiam DD. Epiſcopi, vt circa locationes bonorum, clauſulam apponant Actis Caſtrenſibus roborandam, quod dictorum bonorum tenutarij, Sede Epiſcopali vacante, bona menſæ Epiſcopalis, Capitulis liberè & ſine omni contradictione tradent.

De Antiphonariis, Gradualibus, & Psalteriis imprimendis.

PRopter inopiam Librorum Ecclesiasticorum, vtpotè Psalteriorum, Antiphonariorum, & Gradualium, non vniformiter Cantus in Ecclesijs absoluitur, neque Diuina Officia decenter peraguntur. Promiserunt itaque Reuerendissimi DD. Episcopi, se suppeditaturos pro Typographo sumptum, vt impensa communi cum Illustrissimo Domino Archiepiscopo, & auctoritate Suæ Celsitudinis, prædicti libri recogniti & emendati, denuò in vsum Prouinciæ recudantur; & Parochis gratis ab Ordinarijs locorum distribuantur; alijs verò iustiori præcio vendantur.

De Libris Agendorum.

VT vno eodemq; ritu Sacramenta à Parochis administrentur, decernit Synodus, vt Rituale Romanum, quod PAVLI Quinti Summi Pontificis iussu nuper in lucem prodijt, quamprimùm imprimatur; additis Polonico & Germanico, ac Latino sermone, circa Baptismum interrogationibus; & circa Matrimonij confirmationem solito iuramento, iuxta ritum Prouinciæ, addito: sicuti etiam in prædicto Rituali solennitates Matrimoniorum, iuxta vsum Prouinciæ, conseruari censentur.

De Statutis Prouincialibus.

NE ignorantia Statutorum Prouincialium, quorum Exemplaria perpauca extant, aliqui ab ipsorum obserua-

seruatione sese excusent; decernit Synodus, vt eadem Statuta antiquiora, Libris quinq; contenta, & per Sedem Apostolicam à MARTINO V. IOANNE XXIII. & GREGORIO XII. confirmata, eodem modo, & ordine, in vno volumine recudantur. In alio verò simili volumine, imprimatur Synodus Prouincialis, piæ memoriæ KARNKOVII & MACIEIOVII Archiepiscoporum, vnà cum Epistola Pastorali, & cum Decretis præsentis Synodi. Quod si in aliquibus locis Librorum quatuor, Constitutiones voluminis primi recognosci opus fuerit, Sacra Synodus negotium istud commisit Rñdis DD. Ioanni Foxio, Archidiacono Cracouiensi; Francisco Zaierski, Præposito Luceoriensi, Decano Pultouień, Archidiacono Sendomiriensi; Martino Klocinski, Præposito Sanctissimi Corporis Christi in Cazimiria; & Nicolao Squernieuio, Canonico Louiciensi, I. V. Doctoribus: vnius ipsorum absentiâ non obstante, eosq; ad eum effectum, nec non ad Rituale Romanum, pro vsu Prouinciæ redigendum deputauit. Tenebuntur tamen ijdem DD. Deputati, Statuti eiusmodi in ordinem redacta, cum Rituali Romano recognito, antequam impressa fuerint, Illustrissimo D. Metropolitano in scriptis offerre, vt idem Illustrissimus in Comitijs, seu alio commodiori tempore, cum alijs DD. Episcopis eadem reuideat.

De Sacrificio Missæ in priuatis domibus non celebrando.

DIstrictè præcipit Synodus, vt nullus Sacerdos in pri-

uatis Oratorijs audeat Sacrum Missæ sacrificium celebrare. Contrafacientes verò ab Ordinarijs ad Iuris præscriptum puniantur.

De Festo Sancti Adalberti.

VT Festum D. Adalberti, Regni huius Patroni, per omnes Diœceses Prouinciæ cum Octaua celebretur, decreuit Synodus.

De Festo Diui Cazimiri.

VT Beatus Christi Confessor Cazimirus, Regni Poloniæ Patronus, congruâ deuotione à Prouinciæ Nostræ fidelibus, sub duplici officio, ritu Ecclesiastico honoretur, Decreto Apostolico iam pridem sancitum est. Cùm verò Dei munere, beneficioq́ue, per istius Sancti intercessionem, nobilissimum hoc Regnum, in varijs expeditionibus bellicis, contra Schismaticos & barbaros quosuis hostes, præsentem diuinam opem experiri soleat; iustum sanè est, vt qui hoc maximè calamitoso tempore, bello difficili & periculoso expositi sumus, tantò sanctiùs hunc ipsum nostræ gentis Patronum veneremur, & per eius intercessionem in Domino faciamus contra omnes Christiani nominis hostes virtutem. Quamobrem dies ipsius natalis, qui est quarta Martij, vt de more aliorum Festorum, qui à Clero & populo ex præcepto celebrantur, piè & religiosè per vniuersam Prouinciam à fidelibus celebretur; præsentis Synodi auctoritate, in omnibus Diœcesibus populo quamprimùm denunciandum

manda-

mandamus, atq; ad recolenda diuina beneficia in celebritate Festi istius Sancti, ad eiusq; vitæ imitationem excitandam, fideles exhortamur.

De Canonizatione Beati KOSTKA & Beati CANTII.

POstulationibus prioris Synodi Prouincialibus inhærendo, renouandam iterum supplicationem censuit Sacra Synodus, Sanctißimo Dño N. pro Canonizatione B. SANISLAI KOSTKA. Interim verò dum Canonizationis negotium curabitur, vt Sua Sanctitas, de eodem Beato officium peragi in totâ Prouincia, concedere dignetur.

Eadem item Synodus pro Canonizatione Diui CANTII, Vniuersitatis Cracouiensis Professoris, Sanctæ Sedi Apostolicæ supplicari ab Illustrißimo Domino Archiepiscopo postulauit.

De Academia Cracouiensi.

VT Academiæ Cracouiensis, quæ Ecclesiæ Dei, & istius Regni antiquum est seminarium & ornamentum, debita Professoribus stipendia, anteriorum Synodorum Prouincialium, Anno Millesimo Quingentesimo, Septuagesimo Septimo; & Millesimo Sexcentesimo Septimo, Decretis, per Sedem Apostolicam confirmatis, liberaliter constituta, ab Illustriss: & Reuerend: Prouinciæ Episcopis quotannis persoluantur; eadem Statuta Prouincialia antiqua & recentiora innouat præsens Sy-

ſens Synodus, & in executionem deduci mandat. Et quia valor aureorum Vngaricorum, qui in dictis Constitutionibus ſpecificantur, in tantum iam excreuit, vt æſtimationem illius temporis, quo primùm ante octoginta annos, de augendis prouentibus Profeſſorum Cracouienſium ordinatio Synodalis facta eſt, plus dimidio excedat: declaramus præſentis Synodi auctoritate, aureos in prædictis legibus debere intelligi de aureis, quorum ſinguli duos tantum florenos Polonicos ex antiquo valebant: ita, vt pro centum aureis, ducenti duntaxat floreni Polonici, Academicis Profeſſoribus numerari debeant.

De Collatione Ordinum.

VT Prælati & Canonici, tempore collationis Sacrorum Ordinum per Suffraganeos, in Eccleſia legitimè non impediti, in ſtallis ſuis interſint, monet & hortatur Synodus.

De inſtituendis ad Beneficia.

CVm Sacri Canones valdè deteſtentur Symoniacam labem, in acquirendis beneficijs Eccleſiaſticis: ideò decreuit Synodus, vt ſicut in reſignationibus beneficiorum præſtari debet & ſolet corporale iuramentum, quod in eiuſmodi reſignatione non interceſſit fraus, dolus, aut Symoniaca pactio: ita multò magis id circa inſtitutionem ad beneficia Eccleſiaſtica obſeruetur; videlicet, vt omnes ad beneficia quæuis præſentati, vel electi, ante inſtitutionem, coram Ordinario, vel eius Offi-

ciali præstent, circa professionem fidei, corporale iuramentum ad sancta Dei Euangelia, quod nihil dederunt, promiserunt, aut aliquem contractum in futurum fecerunt, ad obtinendum eiusmodi beneficium. Neque aliter ad beneficij possessionem admittantur. Idem in permutationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, inuiolabiliter debet obseruari.

Declarat præsens Synodus, aureos, qui pro scriptura ad beneficia curata, vel simplicia, ab institutis in Cancellaria DD. Ordinariorum dari solent, debere intelligi de aureis, quorum singuli duos florenos Polonicales valebant; ita vt pro eiusmodi scriptura duntaxat quatuor florenos Polonicales Parochi, & alij beneficiati soluere teneantur.

De Indulgentiis.

VT Sanctarum Indulgentiarum vsus piè & incorruptè omnibus fidelibus dispensetur, ex auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, locorum Ordinarij prouidebunt, vt quàmprimum in suis Dioecesibus, per edictum publicum, Indulgentias quasuis à sæcularibus Sacerdotibus, & Religiosis exhiberi sibi faciant, & quæ reuocatæ aut malè obtentæ sunt, declarent, earumque vsum interdicant.

De Decimis.

DEcimæ iure Diuino debentur Deo & Ecclesijs, ad congruam sustentationem ministrorum Ecclesiasticorum. Quamobrem fideles omnes, cuiuscunque gradus &

dus & conditionis, ad quos Decimarum, miſſalium, aratraliorum, & maldratorum ſpectat ſolutio, obligantur in conſciẽtia eas Eccleſijs vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè extradere. Quod ſi qui eas ſubtrahant, vel impediant, ſiue etiam prætextu, per iniuriam temporum exortæ, ſuſpenſionis iudiciorum in cauſis Decimarum, extradere renuant, abſolui ab eo crimine non poſſint, niſi plenâ reſtitutione ſecutâ, ſub pœna excommunicationis per confeſſarios, iuxta Sacros Canones & Statuta Prouincialia, incurrenda. Et ne per inſcitiam aut obliuionem id peccatum committatur, inhærendo Statutis antiquis Prouincialibus, ſub titulo *de Decimis.* mandamus Parochis & Prædicatoribus, vt in Concionibus primo quoque Dominico die Aduentûs & Quadrageſimæ, doceant hoc populum, ne propoſitas à Sacris Canonibus excommunicationis pœnas ſubire cogantur. Quibus etiam diebus Sacri Concilij Tridentini Decretum, contra occupantes quouis modo fructus, bona, & iura Eccleſiarum, *Seſſ: 22. c. 11.* & *Seſſ: 25. c. 20.* communi lingua populo recitari mandamus.

Regulares quoque intelligant, ſe ex poſſeſſionibus, quas acquiſierunt, vel in dies acquirent, teneri Decimas prædiales ſoluere; quemadmodum tenebantur ſæculares, priuſquam poſſeſſiones huiuſmodi in regulares tranſtuliſſent: alioquin eoſdem Regulares, niſi Iudices Conſeruatores elegerint, ad præſcriptum Conſtitutionis S. D. N. die XXIX. Septembris, Anno M. DC. XXI. hâc de re editæ, coram locorum Ordinarijs conueniri poſſe.

De Re-

De Regularibus.

INtelligant Presbyteri omnes etiam Regulares, cuiuscunque Ordinis, se nullatenus posse Confessiones personarum sæcularium etiam Sacerdotum audire, nisi priùs fuerint ab Episcopo examinati, & approbati: ac similiter non posse à casibus Episcopo reseruatis absoluere, absque ipsius speciali licentia, iuxta Decretum Sacræ Congregationis, in hac Synodo autenticè exhibitum, cuius tenor sequitur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit: Regulares quantumuis exemptos, & ad audiendas personarum sæcularium Confeßiones approbatos, non posse quempiam absoluere à casibus, quos Episcopus sibi reseruauerit; nec vlla illis ad hoc Priuilegia, etiamsi fuerit illud, quod Mare Magnum appellant, suffragari.

De Iudicibus Tribunalis.

VT Deputati omnes ad Iudicia Tribunalis Regni, ab Episcopis idonei propositi, & à Capitulis electi, iurent in Capitulo, se absque legali impedimento, coram Capitulis verificando, non discessuros ante finem Iudiciorum, tàm Petricouiâ, quàm Lublino, nisi relicto sufficienti numero ad iudicium compositum; decernit præsens Synodus. Item vt pensiones ab Episcopis Græcis, Deputatis pendi solitæ, solis Ecclesiarum Cathedralium Russiæ Deputatis cedant, nec in posterum in æqualem diuisionem cæterorum Deputatorum Poloniæ conuertantur.

tantur. Iidem tamen Deputati Ruſsiæ, tàm Petricouiæ, quàm Lublini continuè reſidere, durantibus iudicijs teneantur.

Item, vt omnium Eccleſiarum Deputati, qui plura poſsident beneficia, non tamen incompatibilia, abſque Apoſtolica diſpenſatione, occurrente vacatione præſtimoniorum, eadem in omnibus Eccleſijs, in quibus beneficia poſsident, cùm ſint in negotio Eccleſiarum totius Prouinciæ, per Procuratorem, iuxta ſenium ſuum poſſint optare: dummodò iuxta præſcriptum Statutorum Capitularium ſint habiles, & neceſſaria ad id habeant requiſita.

De Proceſſu Iudiciorum.

FInem litibus quamprimùm imponere æquitati conuenit: proinde decernit Synodus, vt Iudices in Prouincia, in cauſis coram tribunali ſuo agitandis, Proceſſum Iuris, quantum fieri poteſt, faciant breuiorem. Et quòd de nullitate Proceſſus obijci non poſsit, niſi ex defectu citationis, iurisdictionis aut mandati, iuxta Leonis Decimi Prouincialem dudum receptam, necnon Clementis Octaui, quæ incipit: *Litium diſpendijs*, Bullas ſuper eâ re editas.

De Oratione pro Mortuis.

SAnctum & Chriſtianâ pietate dignum eſt officium, pro fidelibus defunctis exorare: Quamobrem pio & laudabili fælicis recordationis Gregorij XIII. exemplo

omnibus Christianis proposito ad imitandum, oratio-
nem vespertinam pro mortuis, præsentis Synodi aucto-
ritate constituimus: ita videlicet, vt perpetuis tempori-
bus in singulos dies, ante decursum primæ horæ noctis,
siue post occasum solis, hora vna circiter, dato signo ma-
ioris campanæ, pro Defunctis Oratio Dominica, Salutatio
Angelica sæpiùs repetita, cum Psalmo, *De profundis*, qui eũ
sciunt, religioso cordis affectu dicatur. Et ne post ordina-
rium Angelicæ Salutationis pulsum, insolito pulsu audito,
incendij vel tumultûs alicuius exorti signum dari à popu-
lo existimetur; præmoneri in concionibus hâc de re popu-
lum, mandamus: Atq; vt vnusquisq; Episcopus Prouinciæ,
pro salutis animarum zelo, vbiq; locorum in sua Dioecesi,
religiosè hoc precationis & charitatis officium, à suis Diœ-
cesanis præstari faciat, monemus & hortamus.

De Testamentis, & eorum forma.

SAcra Synodus, imperitorum Clericorum indemnita-
ti consulendo, declarat testamenta posse condi & or-
dinari, non publicando coram testibus vocatis & roga-
tis Testamenti sui seu vltimæ voluntatis articulos. Inde
enim multi intestati moriuntur, vel male testamenta
condunt, putantes de necessitate se obligari, ad expressi-
onem pecuniæ, & rerum suarum mobilium: Ideo for-
mam hanc præscribere imperitioribus voluit. Testa-
mentum conditurus Clericus curatus & non curatus,
siquidem ad pias causas testari voluerit, speciatim & no-
minatim vocet duos Sacerdotes, si fieri poterit: aut si

duo Sacerdotes non sint, alios probos viros. Sin autem voluerit testari ad non pias causas, vocet Parochum, & duos testes, vel certè quatuor testes, si Parochum noluerit, aut non potuerit adhibere; per quos possit de ipsius constare voluntate, & declaret coram illis, quòd velit Testamentum facere. Deinde non est opus, vt legat suum Testamentum & publicet, sed scriptum suâ manu, vel alterius, offerat dicendo hæc vel similia verba: *Domini mei, offero coram vobis in scriptis vltimam meam voluntatem; nolo tamen vt aliquis sciat, quàm diu vixero, de rerum mearum dispositione introscripta: protestor tamen, quod in ista charta scripsi meam vltimam voluntatem, quam valere cupio, hoc, & omni alio meliori modo, via, iure, stylo, & forma; ita, quòd si non valebit iure testamenti, iuxta Statutum Prouinciale, valeat iure nuncupatiui testamenti, vel alio meliore modo.* Ipse Plebanus seu testator subscribit sic: *Ego N. præsens Testamentum, seu vltimam meam voluntatem, manu mea seu alterius N. scriptam, vobis dico, & protestor, quod mea sit vltima voluntas, & vos quos vocaui & rogaui, eo nomine rogo, vt subscribatis in fidem & testimonium præmissorum.* Testes autem subscribant sic: *Ego N. testis vocatus & rogatus à V. testatore N. interfui & audiui testatorē sic dicentem: Hæc est mea vltima voluntas in hac charta, quam tamen non audiui nec legi, quod testator nolebat mihi notam esse: ideò subscripsi in testimonium præmissorum.*

Quod si testes scribere nesciant, eos debet rogare testator, assignato ipsis aliquo viatico, vt conueniant viciniorem Parochum, & in recenti hoc ipsum denunci-

ent & petant, vt hoc ſumat ad notam. Aut minore compendio teſtes vocati, denuncient idipſum coram iudicio villano. Et ſic celebrata vltima voluntas, erit firma & valida, etiam ſine inſtitutione hæredis, & abſque alijs ſolenitatibus de iure requiſitis. Si autem aliquem inteſtatum mori contigerit, ordinat & ſtatuit Sancta Synodus, vt Epiſcopus Ordinarius, ſeu alius, quicunque poteſtatem diſponendi poſt inteſtatum habens, teneatur omninò ex relicto inteſtati, ſolutis ſoluendis iuxta Statutum Prouinciale, anniuerſarium conſtituere defuncto in Eccleſia, in qua idem defunctus ſeruiuit. Quæ executio vt ſit in viridi obſeruantia, omni dolo & fraude ſemotis, Ordinarios & eorum Officiales, ad quos executio teſtamentorum pertinebit, Sancta Synodus onerat, ſub pœnâ excommunicationis, & onere reſtitutionis, ad cuiuſuis inſtantiam.

De Vſuris.

NOn ſine maximo dolore animaduertimus, in hac Prouincia committi vſurarios contractus, lege diuinâ, & omni iure humano prohibitos. Quamobrem pro noſtri muneris cura, cupientes hanc peſtem, ad perniciem populorum latiùs manantem, reprimere; innouamus antiqua de Vſurariorum pœnis, & de pignoribus Statuta Prouincialia; & præcipimus omnibus Parochis, vt bis in Anno, videlicet Dominicâ primâ Quadrageſimæ, & Dominicâ Conductûs Paſchæ, prædicta Statuta fidelibus exponant, ac eos ſalutaribus monitis inſtruant,

 vt ab

vt ab eiusmodi illicitis contractibus abstineant.

Lectis itaque & publicatis præmissis, omnibus & singulis Constitutionibus & Decretis, gratijsq; Deo immortali actis, & alijs iuxta ritum Pontificalis Romani obseruatis, post solennem Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Metropolitani suprà nominati, omnibus tunc præsentibus, impertitam benedictionem, Synodus est finita. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem præsentes, Sigillo Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis suprà nominati, eidem Synodo præsidentis, sunt communitæ. Actum & Datum Anno & Die quibus suprà.

Locus Sigilli.

Ioannes Lugowski, Sac: auct: Apostolica pub: Actorumq; Curiæ Illustriss: & Reuerendiss: Dñi Archiepiscopi Gnesnen. supati ac Synodi præsen: Notarius.

Approbatio.

NOS Robertvs, Tituli Sancti Alexij, S. R. E. Presbyter Cardinalis Vbaldinus, pro munere Nobis iniuncto fidem facimus, & atteſtamur, Decreta Ptouincialis Synodi Gneſnen: à D. Archiepiſcopo Gneſnenſi, alijſq; Comprouincialibus Epiſcopis, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, vigeſimo primo, die vigeſima ſexta, Menſis Aprilis celebratæ, à Sacra Congregatione Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, SS. Dñi Noſtri iuſſu de more recognita, atq; vbi oportuit immutata fuiſſe, quæ hoc Libello cartarum xxij. quarum prima incipit, *Acta, &c.* vltima verò, *Lectis itaq;* & deſinit, *quibus ſuprà.* omnia continentur. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto Secretario item ſubſcribi, ſigilliq; Noſtri impreſſione communiri mandauimus. Datum Romæ, die xxix. Aprilis, Anno M. DC. XXIII.

R. Card: Vbaldinus.

Sigillum.

Proſper Fagnanus S. Cong: Conc: Secr.

Ex S. Conc: Trident.

Seſſ: 22. C. 11. De Reform.

SI quem Clericorum, vel Laicorum, quacumq; is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſæcularis, vel regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum Iuriſdictiones, Bona, Cenſus, ac Iura, etiam Feudalia, & Emphyteutica, Fructus, Emolumenta, ſeu quaſcunque obuentiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent; per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut laicorum, ſeu quacunq; arte, aut quocunque quæſito colore in proprios vſus conuertere, illoſq; vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur: is anathemati tam diu ſubiaceat, quam diu Iuriſdictiones, Bona, Res, Iura, Fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunq;, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, Eccleſiæ, eiuſq; Adminiſtratori, ſiue Beneficiato, integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi eiuſdem Eccleſiæ Patronus fuerit, etiam Iurepatronatus vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat; necnon quibuſcunq; beneficijs priuatus ſit, & ad quæcunq; alia beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

EXHORTATIO

Ill^mi & Rńd^mi D. ARCHIEPISCOPI,

post Sacrum votiuum, ad vniuersum Clerum.

BReuem ego, Ill^mi & Rńd^mi Dńi, & cæteri Fratres in Christo charissimi, ac potiùs ex instituto, atq; consuetudine Synodali, quàm necessitate aliqua, in hoc Sacrato Concilio nostro, mihi habendum esse censeo sermonem. Non enim ignorant Amplit: & Fraternit: Vestræ, quem ad finem Sacræ Prouinciales Synodi sint institutæ; quid tractandum deliberandumq́; in ijs sit; quid deniq; præcipuum istud rerum Ecclesiasticarum præsidium, iam inde ab Apostolicis temporibus institutum, hactenus retardârit. Igitur in istis recensendis non immorabor: ea autem quæ Nostri muneris sunt, quæq́; à Nobis, tristi isto & infelici suo Nostroq; tempore, S. Mater Ecclesia, & charissima Patria postulat, breuissimè perstringam. Prius tamen tibi Patri Misericordiarum, & Deo totius consolationis, debitas reddo gratias, qui nos huc in tuo Sancto nomine, ex dissitis partibus fæliciter congregasti. Mitte Do-

te Domine inter nos Spiritum S. tuum, qui actiones nostras aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur. Vobis quoq; Ill^mi & Rńd^mi Dńi, meritò habendæ sunt gratiæ, laudandaq; pietas in Ecclesiam, quod ad opem periclitanti? communi consilio ferendam, à me vocati, promptè & alacriter accurristis. Adeste igitur animis, Amplißimi Patres, adesto tota Presbyterorum cuiusuis conditionis corona, Synodum Prouincialem celebramus, non tantùm Sacris id Decretis, & Canonibus iubentibus; verùm grauißima quoque exposcente neceßitate. Consultandum enim Nobis est, non modo de S. Ecclesiæ Catholicæ doctrina, fideq; nostra ab omni labe errorum vindicanda, eiusq; puritate & integritate retinenda, officiis nostris ritè & ordine exercendis, reformandis moribus ad Sanctißima præcepta, & laudem Ecclesiæ disciplinæ, corrigendis exceßibus aut abusibus, si qui per aliquam negligentiam irrepserunt, priscis legibus sanctè sancitis in vsum reuocandis, controuersiis componendis, retinendoq; iure nostro, ac prærogatiuis penè labentibus: Verùm etiam atrocißimo bello à gentibus immanitate barbaris, multitudine infinitis, sanctißimæ Christianæ profeßionis, ac Saluatoris IESV Christi gloriæ, crude-

crudelißimis inimicis imminente, de salute statuq́; nostro tuendo, ac Sanctißimis Ecclesiis, in quibus nomen Domini celebramus, ab interitu diroq́; exitio vindicandis. Primùm itaque accuratè recogitemus nobiscum, ne fortè propter peccata nostra, iustus Dominus plagam hanc in populum, Regnumq́; hoc intorqueat, & vibret gladium exardescentis in nos indignationis suæ, vti quondam in populum Hebræorum sibi dilectum intorserat & vibrârat; quando propter peccata Prophetarum, & iniquitates Sacerdotum, immiserat Chaldeis gentem fortem innumerabilem, quæ totum Iudaicum populum in Babilonicam abduxit seruitutem, templumq́; illud, in quo habitaturum se promiserat, prophanauit & euertit, ac Sacrificia & libationes impiè sustulit & aboleuit. Expergiscamur igitur nos, qui speculatores sumus, vigilemus super gregem commissum nostræ custodiæ, suscitemus dormientes in peccatis. Insonemus buccina, hortemur vt quiescant omnes peruersè agere, & incipiant tandem benè agere. Reuertamur ad Dominum toto corde & animo, & ambulemus in viis eius. Vos maximè Sacerdotes, placate iram Dei nostri, plangite vestra & populi delicta; ingredimini in Sanctuaria Dñi, ministri Dei

nostri, sanctificate ieiunium, cessent commessationes & ebrietates, agite pœnitentiam, fructus eâ dignos facite, expurgate vetus fermentum, sitis azymi, puri ab omni labe impudicitiæ, à cupiditate rerum terrenarũ, & carnalibus desiderijs; auaritia radix omnium malorum non habitet in pectoribus vestris; in cælestium bonorum contemplatione, in Deo ipso ac eius amore, cogitationes vestras desigite. Ita preces vestras exaudiet, & non irascetur in finem, & ad interitum populi sui, iustus & misericors Dominus, & præstabilis super malitia, inuocantibus eum in veritate, & peccata sua verè & ex animo deplorantibus. Incumbite igitur orationi nocturnæ & diurnæ; offerte placabiles hostias pro vestris populiq; peccatis. Potens est Dominus hostium nostrorum, qui gloriantur in fortitudine sua, & in multitudine copiarum suarum, elidere superbiam, & eos in virtute sua conterere. Vti olim superbi Senacherib Assyriorum Regis, templo ac sacræ Vrbi Hierosolymitanæ, vniuersoq; populo excidium minitantis, ad pias lachrymas & supplicationes pij Regis Ezechiæ, Prophetarum & Sacerdotum, ac Principum, totiusq; populi castra contriuit. Nos verè Ill^mi & Rnd^mi Dñi, Comministris nostris præeamus,

mus, non modò monitis, sed & exemplis. Luceamus tanquam lucernæ in domo Domini, positæ super excelsa candelabra; vigilemus, laboremus, honorificemus ministerium nostrum, quod non modo excellentius est alijs spiritalibus, verum planè diuinum; gratiam quã accepimus, non in vacuum recipiamus. Talenta nobis tradita exerceamus ad salutem populi, & sanctæ fidei, ac omnium Christianarum virtutum propagationem. Meminerimus nos non ad otium aut luxũ, & voluptatem, diuitiasq́; coaceruandas, esse vocatos: sed ad pascendum gregem Domini, & quærendas ac sanandas oues, quas ipse triginta trium annorum laboribus, humanâ carne ac miseriâ vltro susceptâ, ac deniq; sanguine proprio, morteq́; crudeli, è diabolica seruitute vindicauit. Verùm quia piè & eruditè, vocationis nostræ partes, Theologus, quem orantem audiuimus, nobis in memoriam reuocauit, & impressa ea esse ex Apostolica Sanctæq; Matris Ecclesiæ doctrina, in animis nostris non dubito, superuacaneum est ea pluribus commemorare. Vnum, in quo huiusce nostræ Synodi dignitas, optatusq́; successus agitur, ab vniuerso Sacrato Cætu Fratrum meorum, tàm Illustrissimorum & Reuerendissimorum Episcoporum,

quàm cuiusuis Ordinis Sacerdotum, hîc Spiritu Sancto authore congregatorum, in tuo nomine IESV dulcißime, cum Apoſtolo tuo obnixè peto, vt idem ſapiamus omnes, inſpirante Sancto tuo Spiritu, & vnum ſimus, ſicut tu & Pater tuus, cum Spiritu Sancto, qui à vobis procedit, vnum eſtis: vt mutuam inter nos charitatem continuam habeamus, vnanimes, idem ſentientes, nihil per contentionem, aut inanem gloriam, neq; per æmulationem facientes; ſed in humilitate nobis inuicem ſuperiores arbitrantes, non quæ noſtra ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum, ac ipſius Matris Eccleſiæ: ſupportantes alter alterum in charitate non ficta, & ſolliciti ſeruare vnionem ſpiritus in vinculo pacis. Deniq; quæcunq; vera, quæcunq; ſancta, quæcunq; pudica, quæcunq; bonæ famæ, quæcunq; ex laude ſanctæ diſciplinæ, ea cogitemus & agamus. Tu verò Chriſte IESV, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, infunde in corda noſtra Spiritum timoris tui, à quo vera ſapientia, tanquam à fonte dimanat: adimple nos ſpiritu conſilij & pietatis, vt noſtræ iſtæ actiones à te incipiant, & per te cæptæ, ad gloriam tuam ſalutemq; noſtram finiantur. Illumina Domine, vultum tuum ſuper nos, & miſere-

miserere nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam, & in omnibus gentibus salutare tuum. O mucro Domini, reuertere in vaginam tuã, & quiesce, vt securi & quieti glorificemus Deum nostrum; in quo vno spẽ nostræ salutis reponimus. Respice Domine tribulationem nostram; & ne permittas vt præualeat inimicus, ne fortè superbiat; & blasphemet ac dicat: Vbi est Deus eorum? Protege igitur Domine, Pontificem nostrũ GREGORIVM, *& Ecclesiam tuam sanctam. Protege Regem nostrum* SIGISMVNDVM, *& vniuersum populum sperantem in te: ad te enim sunt oculi nostri ne pereamus, tu in manu forti & brachio excelso, erue nos de faucibus inimicorum nostrorum, qui veniunt ad dilaniandam hæreditatem tuam, & contaminanda templa sancta tua; vt ab ipsis per te liberati, intrà Sanctuaria tua impolluta, tibi gratias reddamus, & laudetur nomen tuum, apud Sarmaticas hasce gentes Catholicæ Religioni deditißimas, in sempiternum.*

Sermo

Sermo habitus in Synodo Prouinciali Petricouiæ.

TRagicum ſpectaculum Ampliſſimi huius Regni, Veſterq́; hic, ô fulgentiſſima Eccleſiarum ſydera, auguſtus conſeſſus, animo ſenſuiq́; violentos imprimunt effectus. Quæ etenim mens natiuum ſeruabit vigorem, conſpiciens florentiſſimum Regnum decore pacis deſtitui? dum vt verbis Poëtæ dicam:

Nobilitas cum plebe perit, lateq́; vagatur
Enſis, & à nullo reuocatum eſt pectore ferrum.
Stat cruor in templis, multaq́; rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent; nulli ſua profuit ætas.

Arrodit & expectatio futurorum, quandoquidem fortuna belli ancipiti in loco eſt. Nec minùs ſenſus ſplendore huius Maieſtatis Eccleſiaſticæ obruitur: Sanctitatis enim & ſapientiæ radij vndequaq; percurrentes, debilem hanc ſeneſcentis oculi aciem perſtringunt; & quidquid ſit ſermonis præconcepti, coram tot Sapientiſſimis Pontificibus, tot doctiſſimis Prælatis & Patribus, effundere non ſinunt. Nec mirum. Pontifices enim Dei, Angelos Eccleſiarum, ſtellas dexteræ Altiſſimi, columnas fidei, Viros Apoſtolicos, huiuſq́; Ampliſſimi Regni Eccleſiarum capita intueor. Vtriuſq́; magnitudini, animus ſenſuſq́; cederent: authoritas tamen Illuſtriſſimi PRINCIPIS mei, parere percupido fauorem Sacrati cœtus Veſtri, auſumq́; ſermoni ſuppeditabit, quo rem à Diuino Spiritu mutuatam, præſidibuſq́; Eccleſiarum diuinitùs deſtinatam, non perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis: *Quid enim paleis ad triticum?* ſed ſalutari Spiritus eloquio, fæliciùs percurram & expediam. Horum Synopſim Illuſtriſſimo cætui Veſtro propoſiturus Apocaliptici vatis autoritate attentionem poſtulo. Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiæ. Ex quibus, vt ingruentibus Eccleſiæ orbiſq́; patrij malis euertendis, efficax antidotum colligi poſſit,

gi poſſit,

gi possit: *Tu septiformis munere, Dextræ Dei tu digitus: Tu ritè promissum Patris, Sermone ditans guttura. Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus: Virtute firmans perpeti, Quæ tu creasti pectora.*

Excederet numeros, si singula quæq; alloquia supremæ illius Maiestatis, abiectissimo mortalium generi facta, pensitanda inducerem. Satis est capita illorum attingere, proque diuersitate prolatorum, diuersum sensum eorumdem degustare: experimento enim è diuinis eloquijs petito, triplicis ordinis esse censentur. Sunt quædam suauissima, quale illud Dauidicum: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* hoc facit, vt sedeat populus in abundantia pacis, in requie opulentia, & in tabernaculis fiduciæ. Loquitur aliquando, dulcedini acrimoniam coniungens, quo abundè repletum se senserat Ezechiel libri ferculo degustato, continente lamentationes, carmen, & Ve. Loquitur tandem voce, confringente cedros: quale illud Hierem: 18. *Loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam, & disperdam illud.* Huius ordinis edicta diuinitùs missa Ecclesijs agnosco, simulq; timore percellor, ne Illustrissima hæc Sponsa Vestra paribus næuis infæcta, parem vltionis, & iræ diuinæ impetum, hoc calamitatum vndiq; imminente exercitu, præstoletur, aut veriùs experiatur. Illa enim septem, quod vniuersitatis genus est, Asiatica templa, flammeis oculis perlustrata, totius Ecclesiæ continuam varietatem delineant. Sed quia dicit Spiritus Ecclesijs; tẽpus non suppetit singula recensere, ex quibus vnũ verbũ assumo; quod si pro dignitate, eodem afflante spiritu, altiùs penetrauero, satis me functioni imperatæ fecisse existimauerim. Expectatis, Illustrissimi PRINCIPES, verbum hoc? Refero, horrensq; refero: *Charitatem primam reliquisti. Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Tota demeriti causa tamen charitatis iactura: causa, quæ sola candelabri motionem, id est, luminis illius & doni cælestis, nempe fidei priuationem, sponsæ repudium, Angeli electi reprobationem; & vt multa breui complectar, summi boni & beatitatis damnum inferre potest.

Hic iam diligentiùs expedit ſcrutari, Charitas, quare vel maximè in Epiſcopo à Spiritu deſideretur? Manifeſtum eſt Epiſcopalem dignitatem in Eccleſia Apoſtolicum faſtigium poſſidere, quocum vendicat illa ſuis, vt ſint amici Dei, non hoſpites & aduenæ, ſed domeſtici facti, hac ſolâ teſſerâ ab omni alienorum colluuie ſegregati; imò ſupra omne, quod eſt in Eccleſia Dei, eminens eleuati: Et iuxta Theologorum ſententiam, ſoli in apice perfectionis poſiti. Aſtat ſanè Regina à dextris ſupremi illius Dei, circumdata varietate diuerſè militantium. Sunt innumeri, qui liberam animi electionem violentiâ illâ Regnũ cælorum petente, non ſeruâ neceſſitate, ſed heroico obedientiæ actu peſſundârunt: ſunt qui carnis & mundi leges experti ſine carne viuere, & in cæleſtem conuerſationem aſſcribi elegerunt: ſunt qui geniturâ locupletes, hæredeſq; paternorum bonorum effecti, omnia vt ſtercora propter Chriſtum reliquerunt: ſunt qui filiorum Bellial truculentiâ attritâ ſeſe ſuaq; demoliri patiuntur, illius edicto firmati: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Sunt, qui ieiunijs mortificationibuſq; vltro aſſumptis, diu noctuq; corpora, Hoſtiam Deo placentem, offerunt. Ij cæteriq; diuinis dediti, ad perfectionis culmen aſpirant, & velis remiſq; in hoc periculoſiſſimo mari contendentes, rarò pertingunt, ſolis Epiſcopis apicem occupantibus, idq; charitatis ope, quod ſic manifeſto. Charitas eſt connubium & conformatio duarum voluntatum, Diuinæ ſcilicet & humanæ, in vnam, qua ſibi mutuo in omnibus ſummèq; conſentiunt & conformãtur, Deus & homo. Charitas enim rapit ſecum omnes animæ vires & affectiones in Deum, & quò magis creſcit in homine Charitas, eò magis creſcit hæc animæ cum Deo vnio & deſponſatio, ita vt animæ charitate flagrantes, in eaq; ſe aſſiduè exercẽtes, nuptijs cum Deo, & nuptialibus bonis, ac gaudijs Diuinis fruantur. Mentem Diui Bernardi aperio, cuius & verba addo: *Verè ſpiritualis, ſanctiq; connubij contractus eſt iſte.* Parum dixi contractus, complexus eſt. Complexus planè, vbi idem velle & nolle, vnum prorſus de duobus faciunt Spiritum. Nec verendum, ne diſparitas perſonarum claudicare faciat conuenientium volunta-

Hanc Charitatem.
luntatem, quia maior reuerentiam nescit. Charitas
creatam, prouocat illa supereminens omni scientiæ,
sponsum illũ
Christi, quam vno verbo monstraturus Baptista,
appellauit habentem sponsam. Postquam enim VERBVM
CARO FACTVM, ablutam sanguine sponsam sponsauit sibi
in sempiternum; sponsauit autem in iustitia & iudicio, in mise-
ricordia & miserationibus, sicut sponsus super sponsam, gaui-
sus est super nos Deus noster. Connubia hæc optata dulcissi-
mus Sponsus vsq; ad consummationem sæculi continuaturus,
posuit in Ecclesia sua quosdam Apostolos, quosdam autẽ Pro-
phetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Docto-
res quos rectiùs dixero, Sponsos vni operi intentos; nempè qui
spoponderunt Ecclesiam Virginem castam exhibere Christo.
Memini Petrum non priùs clauum regendæ Ecclesiæ accepisse,
nisi exactè Charitate munitum. Memini Apostolis toties incul-
catum nouum Charitatis mandatum; iamq; muneris Amplissi-
mi Vicarij constituti, illud audiunt: *Sicut misit me Pater, & ego*
mitto vos. Missio illa fuit Charitatis summiq; amoris, sanguinis
profluuio, mortisq; atrocissimæ effectu illustrata: eadem Apo-
stoli viriq; Apostolici ornati, ludibria, verbera experti, legiti-
mos sponsos dilectæ sponsæ, in locum Summi Pastoris suffectos
se monstrauerunt. Proinde necessarium semper fuit, probatum
& constantem debere esse amorem eius, cui committi debuit fi-
delium cura, & gubernatio. Talis connubij initia habentur, nõ
ex homine, non valente aliquid boni cogitare ex se; sed vt æter-
na Veritas testatur, ex Deo vocante & trahente: nemo enim
sumit sibi honorem hunc, nisi vocetur à Deo tanquam Aaron.
Vocantur autem electi, eliguntur dilecti; dilecti Charitate illa
perpetua, quà digni facti sunt in partem sortis Sanctorum. Sed
quorsum ista? Charitas aurum ignitum est, scintillat, ardorisq;
sui multos participes facit: charitate in omnibus diuites fa-
cti quid non efficiunt? Placet cum Apostolo, diuitias excellen-
tissima charitate pollentium attingere. Charitati indiuulsè
hæc tria sunt annexa: Sanctitas, amicitia, filiatio Dei. Vbi Cha-
ritas est, exulat vitium, virtus regnat, eius cultores Sancti & im-

maculati in conspectu Altissimi perseuerant: Et quia diligentes se diligit, facit amicos, adoptioneq; filiorum ornat; vt in domo Dei, non vt serui, sed hæredes abundent, & dispensent bona dilecti sui. Sed vt exemplis res clarior appareat: Obliuio & ingratitudo illa Hæbrei populi, qua pro Deo & Saluatore suo vitulum adorârunt, extremum merebatur, excidium; idq; intulisset Deus, nisi Moysis Deo chari supplicatio interuenisset, teste Dauide: *Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* qui & dictum audiuit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus, & deleam eos.* Rectè cum Arnobio alloquar Moysem: Putasnè tu, ô Moyses, plus misericors es quàm ille, qui blasphematus manna pluit? qui contemptus de petra produxit aquas? Non tu plus misericors, sed voluit Dominus affectum tuum ducibus populi recitari, vt sic agant circa peccatores, sicut te fecisse cognoscunt, non citò damnent, sed volentem Dominum condemnare suis precibus flectant. Et licet sit scriptum Deum esse, cuius iræ nemo resistere potest: cum Diuo tamen Gregorio dicimus; *Neminem quidem iræ Dei absolutè posse resistere tamen iustos multos restitisse diuina testantur eloquia: quoniam ij & similes, ab ipso Deo accipiunt, contra impetum percussionis eius opponuntur, & cum ipso erigunt se contra ipsum, eosq; Diuina vis sibi opponit secum.* Subdit ibidem. Quid est seruo dicere, dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? ac si apertè ei diceretur? Pensa quantum apud me valeas, & cognosce quia obtinere poteris, quidquid pro populo exoras. Sed & Aaron vastante incendio rebellem populum, inter viuentes & mortuos thuribulum sumens, animaduersionis ignem incensi fumo temperauit. Dauid humiliter Angelo ferventi se opponens, gratiam & ante tempus præfinitum exegit. Helias quoque longo iam tempore terra arente, subductas de cælo pluuias verbo reuocauit. Voluit Deus ille qui charitas est, habere ædificatores sæpium, auertentes semitas in quietem, quod Diui Hieronymi sensu facit; vt nequaquam ira Dei desæuiat, sed placetur: & omnes indignationis semitæ conquiescãt. Vnde apud Ezechielem comminatur Deus malis pastoribus,

non a-

non ascendentibus ex aduerso, nec opponentibus murum pro domo Israël, vt starent in Prælio in die Domini. Hinc certo certiùs constat, vniuersa imperia & regna, robur & durationem suam habere, non in curribus & equis, non in fortitudine exercituum, sed in sanctitate Pontificum, qui amici, filijq; Domini Dei Sabbaoth, dignatione sua supremâ constituti sunt. Vos ego, Illustrissimi Patres, Vestriq; Ordinis supremam dignitatem agnosco tenere scutum inuincibile efficacissimæ orationis, armorum defensiuorum vim habentis, aduersus ingruentes calamitates. Vos inter Deum & populum mediatores constitutos, quorum Sacrificijs & mucro sæuiens conuertetur in vaginam. Vos illos decem viros iustos Abrahamo numeratos, quos si vltrix ira Diuina inueniret, & ipsa Sodoma incolumis saluaretur. Vos custodes illos constitutos super muros Christianæ Hierosolymæ, non cessantes cum hac suorum Castrorum acie laudare nomen Domini. Vos charitate succensos, interpositos vt septem, & stantes oppositos contra Deum pro terra, ne dissipata pereat. Vos Angelos Domini Exercituum, frementia Castra Assyriorum ad internecionem vsq; vastare volentes. Hæc est de cœlo fortitudo nostra, quæ si in gradu suo consummata perstiterit, non timendum quid faciat nobis homo. Sed terret censura Præsulis Ephesini, cui Spiritus dicit: *Reliquisti charitatem primam.* Non amisisse charitatem putandus ille Episcopus, sed de feruore eius non nihil remisisse; quòd nimis securè vixerit, quædamq; oscitanter egerit, à culmine perfectionis ad inferiorem virtutis gradum per incuriam delapsus est. Et licet certò definiri non possit, cuius negligentiæ accusatus fuerit: siue enim quòd concionandi curam ob perfidorum hominum peruicaciam ex parte abiecerit; siue quod indigentium necessitatibus de suis facultatibus parcè prouiderit; vtrumq; acerrimè increpari debuit: quorum altero, salus & conuersio peccantium, quæ hostia Deo maximè accepta existit, negligitur: altero irriguum illud pietatis & misericordiæ à Deo stabularijs donatum arescit, fructus debitos in horreo cælesti condendos non producendo. Quicquid illud est, hoc vel maximè obseruandū

censeo: Deum ægerrimè ferre quamlibet in virtutum progressu incuriam, charitatisq; remissionem; in ijs præsertim, quorũ est ad perfectionis apicem vel aspirare, vel intentiori charitatis affectu in dies proficere. Iustorum siquidem semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Non aberrauero, si præsentium calamitatum, quibus Sponsa hæc Vestra oppressa ingemiscit, Ecclesiastici Ordinis Vestri charitatis remissionem, causam protulero. Dignitas sanè Apostolici Ordinis Vestri cum primis suscipienda, omniq; reuerentiæ cultu, vel mihi minimo maximè veneranda venit, quam Pastoralis vigilantia, Ecclesiarum sollicitudo, irreprehensibilis vitæ integritas, summa prudentia, honoris Diuini æmulatio, mirum in modum illustrem faciunt: sed iudicium nostrum cum Domino, opus nostrum cum Deo nostro. Spiritum nempè ponderator Dominus, appendens iustitias nostras in statera, inuenit minus habentes. Pondere enim sanctuarij, non vulgari & mundano, affectiones Spiritûs ponderantur. Mendaces filij hominum in stateris, decipientes de vanitate in idipsum: bonum malum, & malum bonum dicentes; at æquissimus ille circumspector omnium, cuius iudicia pondus & statera sunt, nõ secundùm intuitum hominis, sed penetrando singula, ad amussimq; cuncta iudicat. Docet censura hæc Ephesini Antistitis: docent anteactorum temporum exempla: dissimulandanè videtur tam stricta animaduersio Censoris pressius vrgentis? *Venio tibi citò, & mouebo candelabrum tuum.* Ille se venturum minatur, qui dixerat: *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore; iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* horrendum hunc aduentum prouocans, est Charitatis remissio. Nec discrepant anteriorum temporum exempla. Sancto enim Cypriano teste: Sæuissimam illam persecutionem sub Decio, Christianos meruisse didicimus. Verba sunt SS. Martyris. Traditam diuinitùs disciplinam pax longa corruperat, erantq; admodum deprauati, tàm populorum, quàm Episcoporum mores, iacebat fides, & quasi dormiebat, atq; adeò opus fuit, vt erigeretur eiusmodi cœlesti censurâ. Quid hic memorem clades Galliarum ob pec-

cata immissas? Laborabat tunc grauiter Gallia frugum penuriâ, peste hominum & animalium, incursionibus Bulgarorum ac Saracenorum, & quorundam Principum defectionibus. Iam & pessimus dæmon puellam obsidens, vrgente vi exorcismi ac Sacrorum, in vltionem malitiæ ac scelerum à Deo immissa esse, coactus est patefacere: & quod veriùs est, Eginhardo teste; Ludouicus Imperator, Angelicâ reuelatione de multis corrigendis admonitus fuit: qui vigilanti pietate ex consilio Episcoporum, Constitutione promulgatâ, post triduanum ieiunium populo indictum, quatuor anno sequenti celebrandas induxit Synodos, Moguntiæ, Parisijs, Lugduni, Tolosæ; in quibus de disciplina Ecclesiastica, & morum emendatione, tam Præpositorum, quàm subditorum ageretur. Patet inde, calamitates Regnis peccata aduocare; easdemq; non alio efficaciori remedio, quàm pia Sanctissimorum Episcoporum deliberatione profligari posse. Iam & nos securim ad radicem positam videmus; Turcarum gladio instante faucibus nostris, superbo hosti superbiam & vires addidit strages illa, non sine lachrymis commemoranda, exercitûs nostri, qua Duces belli, bellatoresq; à minimo ad maximum, diuinâ in nostram tepiditatẽ animaduertente iustitiâ, hostili cesserunt potentiæ. Continuandam sentiebamus victoriam; depopulatione Oppidorum, vastatione agrorum grassatione in compitis, dum igne & gladio, nemine resistente, cuncta absumebantur. Expectamus vt sanguinis Christiani insatiabilis helluo, igne, ferro, tormentis in hanc veri Dei Sponsam, Vestræq; Illustrissimæ dignitati desponsam sæuiat; vineamq; Domini Sabbaoth, ferus aper depascat. Non patiamini, Illustrissimi PRINCIPES, in diebus vestris iratum Altissimum tantum inducere malum: vtramq; manum, propugnandæ Sponsæ exerite. Dexterâ, priscam illam ab Apostolicis deductam temporibus Sanctimoniam, vitæ innocentiam, disciplinæ vigorem reuocate: Religionis Sanctæ Catholicæ integritatem intemeratam conseruate: Sacris ministerijs puritatem & sanctitatem, reuerentiam item ac deuotionem, restituite: dispendium Charitatis remissæ, qua in propugnando no-

minis

minis Diuini cultu, vſq; ad ſanguinem non reſtitiſtis, æquiſſimo medio emendare ſatagite: apud Sereniſſimum & Potentiſſimum REGEM, Proceresq; Catholicos, authoritate Veſtra efficite, legem impijſſimam omnem veræ Religionis cultum inficientem, quæ ſola interitûs noſtri ſufficiens eſt ratio, vel tollant de medio, vel hoſtibus Sanctiſſimæ Trinitatis eam ſuffragari non permittant. Sed erro, à tramite veritatis Apoſtolicæ deflectens. Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. Cùm æquè Caluini & Lutheri de cuneo ſatelles, ac Arrianus, Eccleſiæ Dei & veritatis, quæ vna eſt, cuius Vos clypeum inuincibilem tenetis, iuratiſſimus hoſtis exiſtat. Mittet manum ſuam de alto Antagoniſta ſupremus, adiuuabit Paſtorales conniſus Veſtros, aream ſuam purgabit, vel obedientiâ errantium debita paſtoribus ſuis; vel impotentiâ aduerſariorum non valentium reſiſtere veritati. Introſpicite viſcera & mores ſibi concreditorum; quorum innumeri obſtinati in peccatis, maximè verò turpitudinis vitæ, cædis ſanguinariæ, rapinarum & vſurarum, & aliarum iniquarum adinuentionnm, prouocantium Deum, vt derelinquat nos, & abſcondat faciem ſuam à nobis. Tanto operi conficiendo inſtructos eſſe oportet, & iuſtè conſolante miſericordiâ, & piè ſæuiente diſciplinâ. Citiùs enim Omnipotens Deus, fideles famulos ſuos exaudit agentes pro populo: quia videt quid ſuper populum acturi ſunt ipſi pro Deo. Fortis enim legatus & mediator, cauſam populi apud Deum precibus cauſam Dei apud populum gladio, à Chriſto poteſtati Veſtræ tradito, allegat. Hæc & alia dextera faciente, nec ſiniſtra deſes maneat. Hoc quidquid eſt copiarum Veſtrarum, tantæ neceſſitati inſeruire facite. Quid arca plena nummis? quid vaſa aurea & argentea? quid equorum & familiæ ornatus? quid domorum cæterarumq; rerum ſplendor? quid deniq; Veſtra hæc Eccleſiæ dignitas & poteſtas? Teſtentur & dicant, vel ipſæ Patriarchales Sedes, quarum candelabris loco ſuo motis, fecit Dominus ceſſare ex hominibus memoriam eorum. Exclamet tot millia millium populorum, totius ferè Orientis, Meridiei, & Septemtrionis, qui ab annis trecentis, ſed turpiùs duriùſque

noſtris

nostris temporibus subiugati, & iam successiuis temporibus, (quod dolenter dico) à Fide sancta diuersi, quorum sanguinē, referente Ezechiele, in die districti examinis, Dominus de manibus illorum, qui tunc in Dei Ecclesia indignè præsidebant, durissimè requiret. Moueat, tot virginum violatio, puerorum vlulatus, mulierum lamentatio, matrimoniorum diuisio, captiuorum venditio, liberorum seruitus, & aliorū absq; numero atrox interitus. Tangat corda Vestra huius matris, quæ Vos Sponsos suos tanto est dignata honore, tot Ecclesiarum vbique fornicatio, Sanctarum religionum dissipatio, in Reliquijs Sanctorum conculcatio: quæ omnia passæ sunt Christianæ Prouinciæ, breui temporis spatio, cunctas tyrannide Othomanicâ vastante. Hæc vos excitent, hæc cautiores & diligentiores faciāt, summamq; Vestram prudentiam, coniuncta hac deliberatione ad succurrendum labanti patriæ feruentiorem reddant. Hîc hîc terribilem Castrorum aciem ordinaturi estis: credo nullas hic contentiones & scissuras futuras, quarum consuetudinem Ecclesia Dei habere non debet; sed vnanimes inter vestibulum & altare collocabitis Sacerdotes plorantes, & precibus contendētes, vt parcat Dominus. Sanctum indicetis ieiunium, vocari facietis cætum, vt multorum clamore magis moueatur Altissimus, pastorali feruore excitabitis negligentiam tepidorum: iniustitias, contumelias, & diuersos dolos, transferentes regnum de gente in gentem, profligabitis: lachrymas pauperum, ne penetrent cælos, abstergetis: prudentiā sæculi, quæ posthabitis cælestibus terrenæ hæc auidè corrādere facit, ad viscera pietatis & misericordiæ reuocabitis: subsequetur hos conatus innocentia sancta Religiosorū collis ista, thuris & myrrhæ feruentiori orationum cumulo, strictioriq; mortificationis rigore, diu nocteq; cælos petet, irāq; Altissimi placare cōtendet, quo propitio, quæ hostilis potentia nocebit nobis? Ipse enim & nō alius est Dñus Deus noster, solus saluator & liberator, qui ab omni periculo nos liberabit, & in fremitu fortitudinis suę, cōculcabit omnes aduersarias potestates: ipse & nō alius, cū gloria & honore nominis sui dominabitur nostri, regens nos in sæcula sæculorum. Amen.

GREGORIVS PP. XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem, in sublimi Apostolatus solio supernæ dispositionis prouidentia constitutum, pijs Catholicorum Regum, & Ecclesiasticorũ Præsulum votis, per quæ Patris Misericordiarum & totius consolationis Dei cultus, & SS. eius veneratio in terris in dies magis promouetur; & accepta eorum patrocinio Diuinæ bonitatis & clementiæ beneficia, humili & grata recolunt memoria, annuere; Pastoralis Officij sui partes desuper interponendo, prout Christifidelium saluti conspicit salubriter expedire. Cùm itaq; sicut Charissimus in Christo Filius Noster SIGISMVNDVS, *Poloniæ & Sueciæ Rex Illustris, ac Venerabiles Fratres Archiepiscopi & Episcopi Regni Poloniæ, Nobis nuper exponi fecerunt; annis proximè elapsis Turcarum immanissimus Tyrannus, vnà cum Tartarorum Domino, innumerabilibus copijs ad excidium dicti Regni comparatis, ad fines Russiæ peruenisset, fluuio tantùm Tyrâ exercitum, quem dilectissimus in Christo Filius Princeps* WLADISLAVS, *dicti* SIGISMVNDI *Regis natus, ducebat, ab hostibus diuidente; & decies pugnatum fuisset, semperq; à Nostris victoria stetisset, tot cladibus afflicti hostes, & fama aduentantis cum vniuersa Poloniæ Nobilitate* SIGISMVNDI *Regis exterriti, ad pacem æquis conditionibus offerendam adducti fuerunt; ne palmo quidem terræ à dicto Regno auulso, magnaq; parte exercitus amissa, maiori cum dedecore & confusione discesserunt, & propterea dictus* SIGISMVNDVS *Rex,*

ac Archi-

ac Archiepiscopi, & Episcopi præfati, singulare hoc Diuinæ bonitatis & misericordiæ erga se, & vniuersum Regnum Poloniæ beneficium, humili & pio corde, perpetua cum gratiarum actione celebrari & agnosci debere considerantes, Nobis humiliter supplicari fecerint, vt diem quo dictus Exercitus recessit, vt præfertur, Festum toti genti præfatæ decernere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos laudem & gloriam ei tribuere debitum reputantes, qui Dominus est Exercituum, per quem vnus persequitur mille, & duo fugant decem millia, quiq; populum suum respicere, & humiliare sicut vulneratum superbum dignatus est: ac pio SIGISMVNDI *Regis, nec non Archiepiscoporum & Episcoporum præfatorum desiderio, in præmissis annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, Dies ille, quo immanissimus Turcarum Tyrannus, & eius teterrima Tartarorum auxilia, à finibus Russiæ, vt præfertur, recesserunt, qui fuit Decimus Octobris, in Honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum Adalberti & Stanislai, Sancti Sigismundi, Venceslai, Georgij, Floriani, Martyrum: Sanctarum Elizabethæ, Heduigis, Sanctorum quinque Fratrum Polonorum Martyrum; Sanctorum Casimiri & Hyacinthi Confessorum; quorum patrocinio* SIGISMVNDVS *Rex, ac Archiepiscopi & Episcopi præfati, nec non dicti Regni populi id se consecutos confidunt, festus perpetuò in Regno Poloniæ præfato sit, isq; solenni cum celebritate, primo anno, post promulgationem huiusmodi literarum; deinceps autem cum Processione & Litanijs celebretur; Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò Statuimus, & Ordinamus. In contrarium facieñ: non obstan:*

stan: quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Iunij. M. DC. XXIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

S. Car: S. Susannæ.

GREGORIVS PP. XV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam benedictionem.

DRaco ille sæuißimus, qui Regnorum cadaueribus, & Orientis sanguine saginatus, non ita pridem in patentes Poloniæ campos excitam penè omnem è sedibus suis barbariem immittebat, non istis solùm Prouincijs meditabatur excidium, sed Germaniam vniuersam, & Occidentale Imperium audaci spe deuorabat: Contremuit terra, timuerunt & turbatæ sunt abyßi, quocunque ille Christiani sanguinis sitiens, tantis stipatus Turcarum ac Tartarorum viribus gradiebatur. Neque Italia quamuis mari Alpibusque septa, cùm ad vestrorū periculorum spectaculum caput erexisset, formidine caruit. Intelligebat scilicet, semel effractis Poloniæ repagulis, posse à tam immani barbarorum colluuie haud difficulter suos quoque campos inundari. In tanta Paternæ charitatis Nostræ sollicitudine, & Christianarum gentium timore, exsurrexit tandem Deus Exercituum, iudicans causam suam, ac Polonarum legionum pectora tantis viribus armauit, vt insolentißimos sæuientis hostis spiritus contuderint, eumque ad fœdas pacis conditiones petendas adegerint.

rint.

rint. Mirata est Europa vniuersa fortissimi Regis SIGISMVN-DI*, ac Principis* WLADISLAI *virtutem dignam profectò, quæ in omnium nationum animis æternùm triumphet, Polonosq; Exercitus, liberatores Orbis terrarum, & profligatores hostium immanissimorum, Christianâ Republicâ nuncupauit. Nunc autem vix dici potest, quibus laudibus in cœlum efferatur pietas Nationis istius, cùm Victoriam adeò illustrem, non sui militis fortitudini, sed Bellatoris Omnipotentis auxilio acceptam referat. Nos autem qui in Pontificatus Nostri fælicitate ponimus trophæum adeò commemorabile, amantissimè benedicimus Fraternitatibus Vestris, istisq; Prouincijs, Deum orantes, qui potens est in prælio, vt tam gratos Principes, populosq; nouarum semper victoriarum prosperitate soletur. Cæterum vt flumen Tyrâ, perpetuum erit Turcicæ ignominiæ monumentum, ita Polono nomini sempiternâ gloriâ fluet. Dies autem ille Decimus Octobris, qui vos calamitate, Nos formidine liberauit, Vobis in maximo honore esse debet, atq; ad æternam diuinæ clementiæ, & Polonæ virtutis memoriam propagari. Meritò ergo in ea die quam fecit Dominus, exultare & lætari Polonia cupit, eamq; Sanctus Regnorum istorum Patronis solemni celebritate dicare. Cùm autem consilium hoc pietatis Vestræ, Apostolicæ auctoritati, vt par est, subijciatis, non patiemur pium hoc à Nobis gaudium frustra tam religiosos victores flagitâsse. Accipietis igitur Pontificium diploma, quo diem illum vobis celebrare ritè permittitur. Nec verò minorem laudem promeremini, dum Sacrificijs & Litanijs Sanctos colere, non ludis & visceracionibus plebẽ delinire decreuistis, ad lætitiam Vestram significandam. Fraternitates Vestras singulari in*

Domino

Domino charitate complectimur, quarum pijs precibus in ijs furentium Bellorum procellis Angelicas legiones è cælo euocatas credimus, quæ Regni istius ditionem, & Christiani Orbis fines feliciter tutatæ sunt. Cùm autem furentes Turcarum Scytarumq; copias, istarum Regionum aditu armata virtus Polonæ militiæ prohibuerit, operam dare debent Fraternitates Vestræ, vt istorum populorum animos contra dæmonum insidias, & vitiorum arma pari felicitate propugnetis. Ita enim non minùs in pace quàm in bello, & perinde in templis, atq; in castris, Poloni nominis gloria triumphabit. Quod solatium Fraternitatibus Vestris ab eo precamur, qui vos selegit Sacerdotes sibi, & generi humano cælestium Regnorum hæreditatem, Diuinæ bonitatis testimonio legauit. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, Die XXIII. Iunij. M. DC. XXIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Ioannes Ciampolus.

A.

de Abbatijs vacantibus. Węzyk. Pagina. 238.
ad Abbatum Electiones mittendi Deputati ex Capitulis. Węzyk. P. 237.
de Absentib. à Synodo. Węzyk P. 187. 242. Lubienski P. 335.
de Abusu Sacramentaliũ et Cæremonialium tollendo. Węzyk. P. 140.
de Academia Cracovien: Maciejowski P. 18. Gembicki P. 55.
de Academia Cracovien. et Soc. Jesu. Węzyk P. 189.
Acta & Constitutiones Synodi Maciejowski P. 5. Gembicki P. 27. Węzyk P. 97. & 220. Lubienski P. 286.
S. Adalberti Festum. Gemb. P. 54.
de Administratione Hospital. Węzyk. P. 142.
de Administratione Sacramentor. Węzyk P. 101. 120.
Advocatiarum Summa. Węzyk P. 237.
Agendorum Libri. Gemb. P. 52.
Alienatio Bonorũ Eccl. Węz: P. 168. Macieį: P. 14.
S. Angeli Custod. Confratern. Węzyk. P. 187.

de Antiphonarijs

de Antiphonarijs, Gradualib, & Psalterijs imprimendis. Gembicki P. 52.
Approbao Librorum et Reuisio. Lubienski P. 333.
Archidiaconi Electio. Gembicki. P. 50.
Archiepporum & Epporum Offium Gemb: P. 30.
Auctio Prouentuum Vicariorum in Collegiatis. Lubienski. P. 296.

B.

de Baptismo. Wezyk. Pag. 121.
Beneficia Regul. ne occupent à Saecularib, Lubienski. P. 325.
Bibliothecarum Reuisio & Librorum Approbatio. Lubienski P. 333.
Bona Ecclesia non arendentur Judaeis. Lub: P. 326.
Bona stabilia ne Religiosi emant. Wez: P. 254.
de Bonis Eccliae. Maciei: P. 14. Wezyk. P. 168.
de Bonis Mensae Epalis. Gemb. P. 51. Wez: P. 169. Lub. 308.
Breuia Aplica: de reductione Missar, Wez. P. 245. De Communione Pasch. P. 246. De foro in Crim: P. 248. de Decimis P. 251. De Soluendis Decimis. Lub. P. 340. De St. Sacramenti Expoone et Processionibus. Lub. P. 345.

De Caerimon:

C.

Ceremonialia, Sacramentalia, et illorum abusus tollendus. Węzyk. P. 140.
Calices aurei ab Archi Episcopis & Eppis dandi. Lubienski. P. 324.
de Canonizatione B. Kostka & Cantij. Gembicki. P. 55.
de Canonizationib. Sanctorum. Węzyk P. 188. 240.
Capitularis Jurisdictio. Gemb. P. 51. Lub. P. 308.
Capituli Officium Sede vacante. Gemb. P. 50. Węzyk P. 166.
de Captivis redimendis. Lubienski P. 294.
de Casibus reservatis. Węz: P. 233. Lub. P. 293.
D. Casimiri Festum. Gemb. P. 54.
Causae Decimarum in Regno decidantur. Lubienski P. 332.
Causae ex Tribunali non avocandae. Lub. P. 329.
Celebratio Missarum. Węzyk. P. 156.
Clerici Saeculares ne ministrent Regularibus. Lubienski. P. 334.
in Cleri correctione ordo Iuris servandus. Lub. P. 326.
de Clericis fugitivis. Lubienski P. 302.
Clericus ne Clericum trahat ad Iudicium Saeculare Gembicki P. 50.
de Cleri Vita & honestate. Gemb. P. 47. Węz. P. 144. Lub. P. 304.
Collatio Ordinum. Gemb. P. 56. Węz. P. 169

Comitijs

Comitiis et Synodis ut Cōpi intersint. Węż. P. 235.
Communio Paschalis. Wężyk. P. 235.
de Compositione cum Saeculari Statu. Maciejowski. P. 12.
de Confirmatione. Wężyk P. 122.
Confraternitas S. Angeli Custodis. Węż. P. 187.
de Confraternitatib. Wężyk P. 232.
Congregaões Cleri per Decanos Rurales faciendae
Wężyk. P. 152.
Conservaõ Bonorum et Iurium Ecclesiae. Maciejowski. P. 10. Gemb. P. 40. Węż. P. 147. Lub. P. 308
de Conservatorib. Wężyk P. 170. 237.
Constituões Synodi Gnezn. Maciejowski P. 5. Gembicki P. 27. Wężyk P. 97. 220. Lubienski P. 286.
Constituão Gregorii Pp. XV. de Comproborum Privilegiis. Wężyk P. 178. | Super eane Constitutõe
Declaraões S. Congreg. Conc. Wężyk P. 183.
Constituões antiquae recudendae. Wężyk P. 166.
de Constituõib Synodi. Wężyk. P. 165
Constituão circa formam et habitum Sacrar. Imaginum. Lubienski P. 356.
Contributio pro Deputatis Tribun. Węż. P. 239. Lub. P. 299
de Cura et Administraõe Hospitalium. Wężyk
P. 142.

Decani.

D.

Decani Rurales. Węzyk. Pag. 125. & 241.
Decimarum Causæ in Regno decidant. Lub: P. 332.
de Decimis. Maciejowski P. 15. Gemb. P. 54.
Declaratio Sedis Aplicæ ratione Gratiarum Capitularibus dari solitarum. Lubienski P. 350.
Decretum in Causa Canonizationis B. Iosaphat. Lubienski. P. 362.
Decretum ne Religiosi Bona stabilia emant. Węzyk P. 254.
Deputati ad corrigendas Constitutiones. Lub. P. 336.
Deputati ex Capitulis ad Electiones Abbatum mittendi. Węzyk. P. 237.
Deputati Tribunal. Regni. Maciej: P. 15. Gemb. P. 59. Węzyk. P. 191. & 236.
Eorum Pensio. Węz. P. 239. Lub. P. 299
de Desolatarum Ecclesiarum Restitutione. Maciej: P. 11.
Desolatæ et prophanatæ Ecclesiæ. Węz. P. 230.
de Divinorum Officiorum Reverentia. Węz: P. 240.
de Doctrina Fidei Catholicæ propaganda et Fidei professione. Maciejowski. P. 7. Gembicki. P. 29. Węzyk P. 100. & 222. Lub. P. 289.

di Ecclæ

E

de Ecclesiæ Fabrica. Wężyk P. 107.
de Eccl: Iurib: & Conseruatione Bonorum. Maciei: P. 10.
Gemp: P. 40. Węż: P. 147.
de Excarum Ingressu. Wężyk P. 232.
Ecclesiastica Bona non arendentur Iudæis Lub: P. 326.
de Ecclesijs prophanatis & desolatis. Węż: P. 230.
Edictum de obseruandis Decretis Concilij Provincialis. Maciciowski P. 1.
Edictum prohibens Lectionem Bibliorum Gedani impressionum. Wężyk P. 223.
Electio Archidiaconi. Gembicki P. 50.
Electiones Abbatum. Wężyk P. 237.
Episcopi intersint Comitijs & Synodis. Wężyk P. 187. & 235.
Episcoporum & Archi Episcoporum Officium. Gemb: P. 30.
de Eucharistia: Wężyk P. 127.
de Examine ad Parochialis. Wężyk P. 186.
Exhortatio Gembicki. P. 64. Eiusdem Sermo Petricouiæ. P. 74.
Exorcismorum Usus. Lubienski. P. 307.
de Extrema Unctione. Wężyk P. 139.

Fabrica

F.

de Fabrica Ecclesiæ. Węzyk. Pag. 107.
de Festis. Zubienski. P. 292.
de Festo S. Adalberti: Gęmb. P. 54. D. Casimiri
Gęmb. P. 54. St Joseph. Węż: P. 187.
in Festorum translatione Circa Responsa S. Congreg.
Węzyk. P. 257.
Fidei Cath. propagandæ Doctrina. Maiciejs. P. 7.
Fidei Professio. Gęmb: P. 29. Węż: P. 100. 222.
Zubienski. P. 289.
de Fugitivis Clericis. Zubienski. P. 302.
Funera & Suffragia mortuorū. Węzyk
P. 149. Zubienski 320.

G.

de Gratijs. Zubienski. P. 301.

H.

Hæreticorum Ministri. Węzyk. P. 142.
de Honestate & Vita Cleri. Gęmb: P. 47. Węż: P. 144.
Zub: P. 304.
Hospitalium administratio. Węż: P. 142.

de Imprimendis Antiphonarijs Gradualib, & Psal-
teriјs: Gemb: P. 52. Węż: P. 189.
Incorporationes Ecclesiarum Paroch: ad Regula-
res. Lubiensci. P. 330.
de Indulgentijs. Gemb: P. 54.
de Ingressu Ecclesiarum. Wężyk. P. 232.
de Inhibitionib. Lub: P. 329.
Interceptorum pœna. Lub: P. 329.
de Instituendis ad Beneficia. Gemb: P. 56. Węż: P. 106.
Iudices deputati ad Tribunal. Maciej: P. 15.
Gemb: P. 59. Węż: 191. & 236.
Eorum Pensio. Węż: P. 239. Lub: P. 299.
de Iudiciorum Processu. Gemb. P. 60.
ad Iudicium sæculare ne Clericus Clericum trahat. Gemb. P. 50.
de Iuribus & Libertatibus Ecclesiæ tuendis. Macie-
iowski P. 10. Gemb. P. 40. Węż: P. 147.
Iurisdictio Ecclesiastica. Maciej: P. 10.
Iurisdictio Capitularis. Gemb. P. 51.
Iurisdictio Spiritualis. Gemb. P. 38.

de Libertatib,

L.

de Libertatibus & Immunit. Ecclesiae. Szaniaw. P. 10. Gemb: P. 40. Węż: P. 147.

de Libris Agendorum. Gemb: P. 52.

de Libris Ecclesiasticis imprimendis. Gemb. P. 52. Wężyk. P. 189.

Librorum approbatio et Revisio Bibliothecarum. Łubienski. P. 333.

Limites inter Vilnen. & Smolenscen. Diaecesim designandi. Łubienski. P. 331.

temere Litigantes. Wężyk. P. 242. Łub. 320.

Litera Cardinalis Carafa ratione eligendi Metropolitani per Eppum Varmien. Łubienski. P. 348.

Luxus vitandus. Szaniawski. P. 9.

M.

Matrimonium. Wężyk. P. 137.

Ministri Haereticorum. Wężyk. P. 190. Łub. P. 294.

Missae Sacrificium. Gemb. P. 53. Węż: P. 131.

Missarum Celebratio. Wężyk. P. 156.

Missae in die Commemorationis fidel: def. Węż: P. 130.

Modus acceptandi Beneficia Ecclesiae. Gemb: P. 56.
de Moribus Cleri & Pop. Mac: P. 8 | Węż: P. 100.
de Musica docenda. Lubienski P. 303.

N.

Nuntius ad Sedem Aplicam. Macier: P. 20. Węż: P. 194. & 243.

O.

Officium ArchiEpporum & Epporum. Gemb. P. 30.
Officium Capli Sede vacante. Gemb: P. 50. Węż: P. 166.
Officium Patronorum. Węzyk P. 186.
Officiorum Divinorum Reductio. Węż: P. 240.
Oratio Joan: Foxij Archid: Crac: Węzyk P. 200. 265.
Oratio Andreae Trzebicki Can: Gnesn. Lub: P. 342.
de Oratione pro Mortuis. Gemb. P. 60. Węż: P. 234.
de Ordinum Collatione. Gemb. P. 56. Węż: P. 165.
Ordo Juris servandus in Correctione Cleri. Lubiensk P. 326.

de Parochis

P.

de Parochiarum Visitatione. Węzyk. Pag. 141.
de Parochorum Residentia. Węzyk. P. 111.
de Patronorum Officio. Węzyk. P. 186.
de Pauperibus iuvandis. Maciejowski. P. 9.
Pensio Iudicum Deputatorum. Węz. P. 239. Lub. 299.
Paenitentia. Węzyk. P. 123.
de Praedicatione Verbi Dei. Węzyk. P. 115.
Praelati non residentes habeant Vicesgerentes. Lubienski. P. 327.
de Presbytericidis. Lubienski. P. 305.
Provisio cum SS. Sacramento. Węz. P. 134. 231.
Processus Iudiciorum. Gembicki. P. 60.
Processus quomodo tollendi. Lub. P. 328.
de Procuratore ad Causas Clericorum. Lub. P. 300.
Professio Fidei. Gemb. P. 29. Węz. P. 100. & 222. Lub. P. 289.
Promulgationes à Concionatore faciendae. Węz. P. 116.
de Propaganda Fidei Cath. Doctrina. Maciejowski P. 7. & Professio Fidei.
de Prophanatis & desolatis Ecclesiis. Węz. P. 230.
Proventuum Vicariorum Auctio. Lub. P. 296.
Provisiones Vicariorum non differendae. Lub. P. 297.

R.

de Rebus post Obitum Clericorum. Wężyk Pag. 151.
de Reformandis Cleri & Pop. Morib. Maciei: Pag. 8.
Reformatio Collegij Posnan. Maciei: P. 19.
de Regularibus. Maciei: P. 16. Gemb. P. 59. Węż: P. 169.
Lubien: P. 322.
Regular. Beneficia ne occupent à Secular. Lub. P. 325.
ex Religionibus dimissi et eiecti. Lub. P. 323.
Religiosi ne emant Bona stabilia. Węż: P. 254.
de Rescriptis S. Sedis Aplicae. Lub. P. 291.
non Residentes habeant Viesgerentes. Lub. P. 327.
Residentia Parochorum. Wężyk. P. 111.
Responsum S. Congregaois in Caa Translationis
Festorum tempore Messis. Wężyk. P. 257.
de Restitutione Ecclesiarum desolatarum. Maciei: P. 11.
Reverentia Divinorum Officiorum. Węż: P. 240.
Revisio Bibliothecarum & Librorum Approba,
tio. Lubienski. P. 333.
de Revisionibus Bonorum Mensae Epalis. Węż: P. 169.
de Ruthenorum Unione. Maciejowski P. 18. Wężyk
P. 241. Lubienski. P. 321.

De Sacram.

S.

de Sacramentalib, Ceremonialib, g. Wężyk. Pag. 140.
de Sacramentis. Wężyk P. 101. & 120.
Sacrificium Missæ in privatis domib. Gemb. P. 53. Węz. P. 131.
Sanctorum Veneratio. Maciejowski. P. 17.
de Scolarib, & Scolarum Magistris. Wężyk P. 114.
Sculteria. Lubienski P. 298.
de Sede vacante. Gemb. P. 50. Węz. P. 166.
Sermo in Synodo. Gemb. P. 47. Exortao P. 64.
Sermo in Synodo Wężyk P. 194. & 258.
Sermo in Synodo Lubien. P. 366. V. Oratio.
Spiritualis Jurisdictio. Gembicki P. 38.
de Statutis Provinciæ antiquis Maciej: P. 13. Gemb. P. 52.
Stipendium Academiæ Crac. Maciej: P. 18. Gembicki. P. 55.
de Suffraganeis. Lubienski P. 331.
de Suffragijs mortuorum & de funerib, Węz. P. 149. Lub. P. 320.
Supellex Sacra. Wężyk. P. 110.
de Synodi Constitutionibus. Wężyk P. 165.
de Synodis & absentib, à Synodo. Wężyk P. 187. & P. 242. Lubien: P. 335.
Synodis & Comitijs intersint Eppi. Wężyk. P. 235.

T.

Taxa Processuum. Węzyk Pag. 239.
de Tempore Litigantib. Węzyk P. 242. Lub. P. 320
de Testamentis & eorum forma Gemb. P. 61.
de Tribunalis Iudicijs: Maciejowski P. 15. Gemb. P. 95. Węzyk. P. 191. & 236.
De Pensione ijs solvenda. Węz. P. 239. Lub. P. 299

V.

de Veneratione Sanctorum. Maciejowski P. 17.
de Verbi Dei praedicatione. Węzyk. P. 115.
de Vicarijs. Węzyk. P. 113. Lubienski P. 296. 297.
de Visitatione Parochiarum. Węzyk. P. 141.
de Vita et honestate Cleri. Gemb. P. 47. Węz. P. 144.
de Unctione Extrema. Węzyk. P. 139.
de Unione Ruthenorum. Maciejowski P. 18. Węzyk P. 241. Lubienski P. 321.
Usura: Gembicki P. 63. Lubienski P. 332.

t: Prouin: Rom: Pet